SECUNDA SYNODUS DIOECESANA AB ILLUSTRISS., AD REVERENDISS. D.D. ALOYSIO MARIA...

Synodus Fesulana





SECUNDA
SYNODUS
FESULANA.



SECUNDA SYNODUS DIŒCESANA

AB ILLUSTRISS., AC REVERENDISS. D.

D. ALOYSIO MARIA STROZZA

EPISCOPO FESULANO, ET COMITE TURRICHII

Habita Florentiæ in Ecclesia Parochiali Prioria Sanctæ Mariæ in Campo nuncupata Fesulanæ Diœcesis

DIE XXVII. MAII ANNO MDCCXXXIV.





FLORENTIÆ, MDCCXXXV.

APUD FRANCISCUM MOÜCKE.

Superiorum Facultate.

ALOYSIUS MARIA
S T R O Z Z A
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPUS FESULANUS,
ET COMES TURRICHII

Venerabilibus Fratribus Canonicis, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Fesulanæ, omnibusque Parochis, & Clero universo Fesulanæ Diœcesis salutem.



ANC *ecce vobis, Chariſſimi (Apoſtolorum Principis verbis utar) ſecundam ſcribo epiſtolam, in qua iterum veſtram excito in commonitione ſinceram fidem* (1) *: ſecundam quidem, dum Diœceſanis iterum indictis comitiis, & Deo dan-*

(1) 2. Pet. 3. 1.

dante absolutis, Synodales, quæ in secundo hoc frequentissimo conventu vestro statutæ fuere leges, palam facimus. Non quod amplissimæ Fesulanæ Ecclesiæ regimini usque modo per Nos, & vigilantissimos Prædecessores Nostros abundè satis provisum non fuerit; sed quoniam Vineam Domini (in quam, etsi perdensa circumvallatam sepe, irrepere perniciosa continuò tentant animantia) frequenter invisere, munimenta vel instaurare, vel addere, vigiles, ac colonos excitare, cùm Tridentinis præceptis, tum experientiæ documentis compellimur. Ad retundendos itaque callidissimi serpentis conatus, astusque eludendos, Pastoralibus officiis, quantum in Domino possumus, respondere cooptamus: quamquam enim in commune nos Dominus ad indefessam vi-

gi-

gilantiæ curam adhortetur ; specialem tamen populi Principibus , idest , Episcopis , in expectatione , adventuque suo sollicitudinem mandat ; ut doctrinæ opportunitate , & veritate infirma confirment , disrupta consolident , depravata convertant , & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendant (1) . *Hæc verò Nos fore perfecturos , si non pro muneris amplitudine , pro virium saltem conditione , latas jam leges confirmando , & nova , quam nuper celebravimus , Synodi consulta promulgando confidimus . Quod vestrum est Venerabiles Fratres , dilectissimi Filii , ea qua decet reverentia suscipite Volumen legis hujus ; & custodite , & facite omnia quæ scripta sunt in eo* (2) ; *ut certam vestram vocationem ,*

& ele-

(1) Hilar. in Matth. (2) Jos. 1. 8.

& electionem faciatis (1), *reportantes finem fidei vestræ salutem Animarum* (2). *Quod ut feliciter & ex votis eveniat, Divini Numinis auxilium efflagitantes, Pastoralem Benedictionem faustissimis auspiciis elargimur.*

JOAN-

(1) 2. Pet. 1. 10. (2) 1. Pet. 1. 9.

JOANNIS BAPTISTÆ
URBANI
CANONICI FIGHINENSIS
AD SYNODUM
ORATIO.





MNIA in deterius abire, Illustrissime, ac Reverendissime Præsul, Amplissimi Patres, cæterique Ornatissimi Auditores, omnia, inquam, in deterius abire, & quodam veluti pondere ad occasum, atque interitum ruere, minus profectò dolendum esset, si & ipsa virtus, qua nihil præstantius invenitur in terris, alienas tantùm videre clades, non de suis etiam gravissimis incommodis quotidie conqueri cogeretur. At ea quidem est pertinacia vitiorum, eaque pravæ cupiditatis, ac voluptatum protervia, ut omnibus illam locis nunc aperta vi, nunc latenter, & per insidias oppugnent; neque usquam vel sine metu consistere, vel integram

viribus, & incorruptam diu esse patiantur. Metuendum idcirco foret, ne tandem aliquando tantus in eam impetus hostium fieret, ut tota funditus interiret; nisi illam subinde potentissimi Reges, vigilantissimi magistratus, aliique principes viri, qui res humanas publica auctoritate administrant, sapientissimis, ac saluberrimis legibus, quas pro loco, & tempore condere consueverunt, ex acceptis calamitatibus recreare, & contra futura pericula communire studerent. Quemadmodum enim sedulus, impigerque colonus agrum sibi commendatum a noxiis, lethalibusque germinibus nullo unquam tempore desinit expurgare; ita prorsus admirabili Divinæ Sapientiæ consilio factum videmus, ut quibus populorum regimen, reique publicæ gubernatio commissa est, perniciosissimas vitiorum herbas, quæ suffocant æquitatis, & honestatis semina, Legum severitate radicitus frequentissimè tollant, summaque ope nitantur, ut quæ hominis nobilitatem, ac dignitatem exornant, ea uberrimè in omnium animis efflorescant. Quæ cum ita sint, de hoc altissimæ providentiæ beneficio nos præcipuè Deum O. M. amare debemus, qui vitam nostram, abdicatis jampridem sæculi curis, Ejus cultui mancipavimus, tum ut Altaribus ministremus, sacrisque operemur Mysteriis, tum etiam (quod alterum est nostri muneris caput) ut

ut opportunis consiliis, ac salutaribus documentis viam Christianæ Plebi ad æternæ Beatitudinis domicilia sternamus; si enim in primis utiles, ac necessarias eas leges existimamus, quæ populum in officio continent, & deleta vitiorum tyrannide vectigalem virtuti faciunt; quantò utiliores, ac præstantiores habendæ sunt, quæ Clericorum vitam ad pristinæ sanctitatis splendorem aptissimè revocant, inque omnibus Ecclesiarum Præfectis non suæ magis, quàm alienæ salutis curam vel sopitam excitant, vel extinctam accendunt, vel integram, & incolumem ab omni in posterum negligentiæ periculo tutantur, ac liberant? Oh faustum igitur, auspicatumque diem, quo supremus Ecclesiæ Fesulanæ Sacerdos ad hæc Synodalia Comitia nos iteratò coegit, novisque Legibus sua Pietate, Consilio, Sapientiâ dignissimis fulcire constituit! Oh nos quoque felices, oh nos beatos, qui Patris amantissimi conspectu fruimur, clarissimâque Virtutum ejus luce perfundimur! cum enim hodierno die incredibilem suam, ac penè Divinam erga nos vigilantiam hac nostri Ordinis convocatione manifestius declaret, novoque argumento confirmet; quantùm nos quoque subjectæ nobis multitudinis providere debeamus rationibus, ab uno Ipsius exemplo discere possumus universi. Hic verò PP. vellem mihi eos tantùm Sacerdotes astare,

 qui

qui (1) susceptæ benedictionis ministerium ad alia omnia potiùs, quàm ad animarum lucra convertunt; nunc enim præcipuè paratus essem tandiu luctari cum ipsis, donec omni prorsus animi lentitudine, ac remissione submotâ, tantùm eos deinceps diligentia commendaret, quantùm ad hæc usque tempora torpor, & ignavia dehonestarunt. Sed quoniam mihi felicissimè contigit apud vos verba facere, quos ad unam tantum Christiani populi utilitatem totis viribus laborare nemo non videt: liceat mihi quæso vobiscum conqueri de intolerabili quorumdam segnitie, qui (2) officium quidem Sacerdotale susceperunt, opus verò officii non implent. Liceat, inquam, (hoc enim est, quod tota oratione conabor efficere) gravissimis, atque inconcussis rationibus demonstrare, quàm verè, & indubitanter onus juvandi proximos in iis, quæ ad æternam salutem pertinent, Sacerdotibus Christianis incumbat.

Interim verò, dum ad dicendum aggredior, oro vos, obtestorque, tantisper obliviscamini, summos illos dicendi Artis Antistites, qui ex hoc honorificentissimo loco, me quoque ipso semel, & iterum audiente, Synodales Diœcesis nostræ conventus luculentissimis orationibus exornarunt; Video enim quàm

lon-

(1) S. Greg. Pap. Hom. 17. in Luc. 10. ante med.

(2) S. Greg. in ead. Hom.

longè absum ab Eorum doctrina, atque eloquentia; quin etiam non me illis modò, sed ne vulgaribus quidem, atque infimi ordinis Oratoribus audeo comparare. In hac tamen ingenii tenuitate, vel potiùs inopia, adeò mihi animum, viresque addit humanitatis vestræ recordatio, ut vos mihi hodie æquissimos fore confidam; cum præsertim intelligam, quicquid tandem dixero de Christianorum salute, cui navare operam Sacerdotes debent, totum hoc ad immortalem sedulitatis, ac diligentiæ vestræ laudem, ac decus certissimè rediturum.

Quamquam verò PP. AA. ea est hujus Loci dignitas, ut vel disertissimus quisque vereri meritò debeat, ne metu, atque horrore tantæ Majestatis perculsus, animo concidat; Ego tamen, qui Oratoris Artem, vix a limine salutavi, susceptam hodie caussam tam validis, robustisque Sacrarum Literarum testimoniis video sustentari, ut nihil mihi de imbecillitate eloquentiæ meæ timendum esse videatur. Quorsum enim præclara illa, splendidaque vocabula, quibus utriusque Legis Sanctissimæ Paginæ Sacerdotalis muneris dignitatem, atque amplitudinem honestarunt? An non omnia eò potissimùm tendunt, ut de susceptæ a nobis provinciæ gravissimis oneribus admoneamur, omnemque industriam, ac facultatem non jam captandis populorum obsequiis,

neque

neque Altarium proventibus percipiendis, ſed uni tantùm animarum profectui, & Divinæ Gloriæ incremento impendendam eſſe diſcamus? Lætamur enim, quòd non aliquis è vaniſſimo Poetarum numero, ſed ipſa Altiſſimi Spiritus certiſſima, atque indubitabilis auctoritas Angelorum nomen humilitati noſtræ communicaverit? At illud quoque ſciendum eſt, talem tantamque hac ampliſſimi recordatione vocabuli ab unoquoque noſtrùm expoſci, tum comparandæ ſapientiæ, tum in alios quoque liberaliter effundendæ ſtudium, ac diligentiam, ut Angelorum æmulatores effecti Divinam mentem, voluntatemque concredito nobis populo nunquam interpretari omittamus (1) *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore Ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt*. Gloriamur etiam, quòd ex ore Divini Verbi lux Mundi vocemur? Sed quemadmodum adventu lucis tenebræ dilabuntur, ita nos quoque oportet (2) *habitantibus in regione umbræ mortis* noctem ſcelerum propulſare, iterque ſalutis oſtendere quàm tutiſſimum: (3) *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum*. Jucundiſſimum denique, gratiſſimumque eſt, quòd ab ipſo

(1) Malach. 2.
(2) Iſajas 9.
(3) Matth. 5.

ipso pariter supremi Numinis Filio terreni salis titulo nuncupemur? Verùm heu nos miseros, si quas Ille virtutes tanto nomine designavit, vel abesse ab animis nostris Fidelium multitudo compererit, vel steriles prorsus, fructuque vacuas pigritia nostra reddiderit! Sal enim (1) *si evanuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab Hominibus*. Optimo igitur jure de hujusmodi titulorum splendore gratulari sibi Sacerdos potest: eorum verò præsidio ignaviam suam, desidiamque tueri nequaquam potest; Ipsa enim Æterni Patris Sapientia, quæ omnes templorum Ministros à reliquorum mortalium conditione per Sacræ Unctionis Mysteria quasi abstractos, atque divulsos tam speciosis, atque honorificis nominum insignibus exornavit, apertissimè docuit, eos esse potissimùm, quorum opera, labore, ac studio florere virtutes debent, omniumque ordinum Pietas, Justitia, Sanctitas, uberrimi quasi fructus Cœlesti Dimino germinare: (2) *Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*.

Quæ omnia quidem advertens animo infatigabilis Evangelii præco Paulus Apostolus, hanc esse legem sibi, nobisque omnibus constitutam affirmat, ut scilicet altissimo rerum omnium conditori Deo auxi-

(1) Matth. 5. (2) Joann. 15.

auxiliariam in agendo præbeamus manum : (1) *Dei enim adjutores sumus*. At quæso vos, AA. in quo tandem opere, summum illum Artificem, quem nullius auxilio, ac ministerio indigere firmissimè credimus, manibus nostris, tamquam instrumentis, uti putatis? Cœlosne sustentari a nobis (quod de Atlante illo fabulosè dictum accepimus) terras, mariaque gubernari, suis coerceri finibus elementa, temporum vices, annorum cursus, cæteraque omnia, quæ ad Mundi ordinem, & pulchritudinem pertinent, virtute, consilioque nostro creditis voluisse disponi? Majus aliquid PP. atque ab humanæ mentis intelligentia magis remotum excogitate. Vidit hominem Deus corruptæ naturæ vitio ad ruinam, atque interitum properare: vidit abhorrere a legibus honestatis, & fræna pudoris rumpere: vidit avaritiæ, libidinis, impietatis viribus circumquaque ferri, atque jactari: jam denique actum de illius salute, de æterna gloria, bonisque immortalibus vidit. Ejus igitur miseratione permotus, æqualem sibi per omnia Filium demisit in terras, qui cæde, suppliciis, sanguine, vitam ejus, salutemque redimeret, perficeretque, ut ad omnia, quibus per diabolicæ fraudis versutiam fuerat expoliatus, postliminio quodam rediret. Quasi verò totum hoc præstitisse parum videri

(1) ad Cor. 3.

deri posset, post Filii discessum è terris, Nos in ejus locum suffecit, Nos Ejus laboribus subrogavit, Nos omnium maximi, planèque admirabilis operis vocavit in partem; ut videlicet homines vel integros viribus, vegetosque ab omni scelerum morbo servaremus incolumes, vel mortiferâ quâpiam ægritudine oppressos, quà salutarium verborum, quà sacrorum Mysteriorum virtute ad animi sanitatem revocaremus. Quam eximii Muneris excellentiam Dionysius Areopagites aliquando admiratus: (1) *ingens*, inquit, *ac verè Divina dignitas cooperatorem fieri in conversione animarum, Divinamque in se operationem palam cunctis ostendere*.

Ubi nunc igitur qui Sacerdotis nomine tantoperè sibi placent, ut supra Scribarum, & Phariseorum insolentiam (2) phylacteria dilatent, & magnificent fimbrias, cæterùm verò nihil de animarum lucro, nihil de peccantium salute, nihil de virtutum propagatione laborant? Oh sedulos enim verò Christianæ Plebis Custodes! Oh præclarissimos Summi Sacerdotis imitatores! Oh Redemptoris adjutores fidissimos! Eò igitur spectasse credimus, Sapientissimum Deum, cum vicem gerere Filii sui, Ejusque legationem obire nos voluit, ut congerendis pecuniis, ut instruendis conviviis, ut studiis levissimis conse-

c   ctan-

(1) S. Dionys. de cœlest. Hier. c. 3. (2) Matth. 23.

ctandis, potiùs quàm redimendis a Dæmonum potestate Mortalibus, comprimendis vitiorum conatibus, Pietatis, atque Innocentiæ juribus defendendis operam daremus assiduam? At non hæc quidem, Sacerdotes, nostri officii ratio, non hoc nostræ electionis consilium; sicut enim Christus non voluptatibus, sed laboribus, non comessationibus, & ebrietatibus, sed tormentis, & Cruce, non deliciis, sed sanguine Mundi salutem ab infestissimis, crudelissimisque hostibus vindicavit, ita quisquis sub tanto Imperatore stipendia mererè voluerit, non ipse modò voluptatibus abstinere, Continentiam servare, Justitiam, & Sanctitatem colere, sed cum aliorum quoque vitiosa, depravataque natura, cum agrestibus, ferisque moribus, cum effrænatis, indomitisque cupiditatibus, nullâ prorsus intermissione pugnare debet.

Hæc autem AA. PP. ut certa, & ab omni mendacii suspicione remotissima sint, quoddam tamen est Sacerdotum genus tam perstrictæ, atque obduratæ cervicis, ut ea non in dubium modò, sed in quæstionem quoque, & pugnam vocare non erubescant. Ajunt enim alienæ salutis studium ad eos tantum pertinere, quos Ecclesia Catholica communi, vulgatoque vocabulo animarum Curatores appellat; cæteros verò, quibus præcipua Christiani

Gre-

Gregis custodia non fuerit commendata, satis, superque muneri suo fecisse, si ritè Sacra peregerint, statasque Deo preces, quoad ejus fieri possit, diligenter, & accuratè persolverint. At (Deum immortalem!) itane se habent tempora, ut hujusmodi ineptias, & fabulas populo venditari, atque ipsos æternæ veritatis testes non earum modò buccinatores, sed auctores quoque, & propugnatores haberi ferendum sit? Longè tamen aliter sentiunt Sanctissimi Ecclesiæ Patres, Fideique nostræ, ac Religionis Interpretes: in primis verò aureum illud eloquentiæ flumen Joannes Chrysostomus, qui unum aliquem è Sacerdotum Ordine sibi proponens ob oculos, non quidem ambitione inflatum, non avaritiæ cupiditate incensum, non luxuriæ sordibus inquinatum; sed contrà justum, continentem, modestum, nulla verò animarum emolumenta quærentem, & nihil omnino in vinea Domini laborantem, ex hoc solùm capite salutis ejus causam jam inde perditam, ac deploratam affirmat: (1) *Etsi omnem vitam nostram* (ita enim inquit) *diligentissimè compositam*, *&* *instructam egerimus*, *hac non evitata negligentia*, *nihil consequemur emolumenti*, *cum ea talis*, *ac tanta sit*, *quæ sola in Gehennæ profundo possit immergere*. Neque verò putetis, funestam sanè, atque horribilem

(1) S. Chrys. l. 3. adversùs Vituper. Vit. Mon.

lem tanti Viri ſententiam vehementi potiùs Charitatis æſtu quàm quòd ita ſe res habeat, pronuntiatam fuiſſe; ſi enim, ut ſacræ teſtantur Literæ: (1) *Mandavit unicuique Deus de proximo ſuo*, quanto magis hoc ſupremi Legumlatoris præceptum ad eos referri credendum eſt, quos ſuæ legationis munere, & ſuorum adminiſtratione Sacrorum cæteros antecellere voluit? Si alterum alteri in pericnlo laboranti ita æquum eſt auxiliari, ut boni civis officium deſeruiſſe videatur, qui opem negaverit, quantò ſe graviori crimine alligabit, qui altiſſimum Dignitatis gradum in Chriſtiana Republica adeptus, afflictis civium rebus deeſſe, omnemque de illorum ſalute curam abiicere non veretur? Si quandocumque de aliorùm calamitate, de fortunis, de capite agatur, nemo unus poteſt eſſe incurioſus; ubi laboratur de ſummo bono, ubi æternæ felicitatis impendet jactura, ubi non corporis, ſed animæ vita periclitatur, in Hominibus Deo Sacratis, in Catholicæ Eccleſiæ Miniſtris, in Evangelii Teſtibus, in Adjutoribus Redemptoris ſocordiæ, atque incuriæ poterit locus eſſe?

Æquiori tamen animo, PP. hoc ego graviſſimum deſertæ Fidei perferrem ſcelus, niſi jampridem intellexiſſem, a quo tam multos è Sacerdntum numero abhor-

(1) Eccli. 17.

abhorrere videmus, ab eo ne illos quidem ſeſe immunes exiſtimaſſe, qui ab Eccleſiæ incunabulis re familiari univerſa in pauperes erogata, curiſque ſæculi, ac voluptatibus abdicatis nuncium mundo remiſerant, & ab omni hominum conſortio conſpectuque ſegregati, in eremos vaſtiſſimas, quemdam veluti Chriſtianæ ſecuritatis portum confugerant. Vos mihi teſtes appello, Ægypti, Syriæque Solitudines, quæ Antonios (1) Macarios (2) alioſque ſexcentos æterni nominis Anachoretas, quibus arrham beatæ pacis, atque otii dederatis, ubi res Chriſtiana in diſcrimen fuiſſet adducta, vel ad hæreſes conterendas, vel ad vitia profliganda, non ſemel atque iterum tantùm, ſed quotieſcumque urgeret periculum (urgebat autem ſæpiſſimè) ſubmiſiſtis. Quid autem in eorum virtute commemoranda ſupervacaneo ſermone Vos teneam? Noſtis omnes non illos modò, ſed innumeros etiam profanos homines, ſed imbelles etiam matronas, rudeſque omnium femellas, per ſingula Eccleſiæ ſæcula recenſeri hoc ſtrenuiſſimæ Charitatis ardore plurimùm ſemper, & maxima cum poſteritatis invidia commendabiles. Quid multa? Virgines, virgines, quæ perpetuo ſe carceri Sacramenti religione addixerant, mundique ruentis exitia non videre modò, ſed ne audire quidem ſperaverant,

(1) S. Athan. in Vit. S. Ant.   (2) Euſeb. Cæſarien. Hiſt. Ecc. l. 11. c. 5.

rant, si quando tamen earum latebras beatissimas novus aliquis de proximorum periculo rumor pervaderet, quid non agere, quid non moliri, quid non studere, ut perditis jam, & collum in laqueum inserentibus subvenirent? Magna hæc quidem, sed non ignota; plura enim hujusmodi Charitatis prodigia (1) vidit Hispania, vidit Italia, vidit hæc ipsa, in qua loquor; urbium deliciæ Florentia; fœcunda semper Sanctimoniæ parens, altrixque Heroum fortunatissima. Quâ ergo fronte, quo vultu contra notissima tantæ strenuitatis exempla incuriam nostram, desidiamque tuebimur? Si enim Sanctissimi nemorum Cultores nullam sibi causam suffragari putarunt, ne Christiano Populo perfidiæ, atque impietatis telis undique lacessito, maximo cum vitæ discrimine suppetias ire contenderent; satis nos tutos esse censebimus, qui eidem Populo, diverso belli genere, sed iisdem ferè viribus oppugnato, sine ullo periculi metu opem ferre detrectamus? Si & profanis hominibus rei domesticæ cura, fœminis quoque imbecillis, sexus, & conditionis fragilitas, sanctioribus quoque virginibus cœleste voluntarii carceris otium impedimento esse non potuit, quominus tum publicis, tum privatis animorum rationibus providerent; nobis, qui ideò potissimùm ad tantæ amplitudinis fasti-

(1) Plures vide apud Lohner Bibliot. man. tom. 4. tit. 153. §. 5.

fastigium vocati fuimus, ut alienæ salutis negotium impensiùs ageremus, si Christianos homines vitiorum conspiratione magis magisque in dies profligatos, atque perculsos opportuno subsidio destituamus, probro esse non debet? Oh turpissimum nostri Ordinis dedecus! oh Sacri muneris ignominiam fœdissimam! Oh ingens, atque nefarium Christi Sacerdotum scelus satis nunquam omnium sæculorum lacrymis expiandum!

Ex hoc verò, quo vehementer exagitor, justissimi doloris impetu, facile vobis est intelligere, quo tandem animo sim, si fortè mihi non imi subsellii Sacerdos, sed unus aliquis ex ordine Pastorum occurrit, qui oves sibi concreditas neque (1) amissas conquirere, neque abiectas reducere, neque alligare confractas, neque sanare infirmas laboret! Miserum enim verò, ac perditum, qui tam malè mereri de Christiano Populo non veretur! Deus enim, qui Sacerdotes suos, terrestres veluti soles prælucere mortalibus jussit, cur pœnas ab illis gravissimas non reposcet, qui Christi greges fidei suæ commendatos aberrare a lumine veritatis, & per teterrimas vitiorum ambages transversos agi permiserint? Ille, inquam, Deus, qui Viros sacro munere præfulgentes sibi adjutores adscivit ideò potissimùm, ut magnum illud, [illegible] & ad-

(1) Ezechiel. 34.

& admirabile Sanguinis Filii sui remedium ægris mortalibus adhiberent, eos tantùm cessare ab adjuvando patietur, quos præesse cæteris ministerio voluit, & antecellere dignitate? Desidiosos hujusmodi, socordesque, ne dicam inhumanos, ac barbaros, Ecclesiarum Præfectos, nimiùm quantùm perstringunt fortissimi Sacerdotes, qui difficillimis temporibus Sacri regiminis clavum adeò semper infatigabili tenuerunt manu, ut Gentilium furores, quibus tanquam indomitis ventis Christianæ Reipublicæ navis conflictabatur, terroris quidem afferre causas, animum verò terrere potuerint nunquam. In primis autem Tu ignaviam nostram, ac negligentiam accusas, ROMULE Beatissime, qui Fesuleis Civibus, atque adeò Etruriæ penè universæ jussus ab Apostolorum Principe Christi nomen inferre, obsitam undique dumis, ac vepribus viam, præruptam, saxosam, ferisque horrentem, & nullius antea signatam vestigio, tanquam hortum amœnitatis, ac deliciarum plenum ingressus es, nec Te unquam à perficiendo suscepti itineris cursu, aut vincula, aut supplicia, aut ipsa mortis facies formidolosissima revocavit.

Neque verò putetis AA. cessantibus persecutionum procellis, quæ per tria ferè Sæcula Ecclesiam vexarunt, curam illam vehementissimam, quâ primi

ani-

animarum Moderatores exarserant, in eorum Successoribus deferbuisse; cum enim animadverterent, paratas undique Diaboli machinas ad exitium Christianæ Plebis, in eo semper constantissimè laborarunt, ut immoderatam vivendi licentiam, libertatemque coercerent, scelerum potestatem everterent, & algentia Mortalium pectora Divinis ignibus inflammarent. Ob eam itaque rem non illos unquam, aut viarum asperitas, aut temporum inclementia, aut regionum longinquitas a suscepto consilio deterruit; sed quocumque tandem improbitas confugisset, sive in Procerum aulas, sive in Principum sinum, illam semper ubique insectari, atque omni telorum genere exagitare non dubitarunt. Audiamus profectò Ennodium Ticinensem Episcopum hoc præclarissimum suæ fortitudinis testimonium ferentem: (1) *Quamvis cana nivibus juga Alpium transituris minarentur exitium, mortiferum frigus, & concretas algore glebas Fidei ardor exuperavit. Nescivimus parcere sanguini nostro, dum servamus alienum; nam in tanta circumspectione salutis omnium, solùm pro nobis timere non novimus*. Audiamus quoque invicti animi sui monumentum, quod Joannes Chrysostomus literis commendatum reliquit: (2) *Etiamsi*

(1) S. Ennod. opusc. 3. apud Mansi diss. 9. n. 6.

(2) S. Chrys. Hom. de expulf. ipsius.

Etiamsi fluctus insurgant; etiamsi totum pelagus adversum me conturbetur; etiamsi Principum furor invadat, omnia mihi araneæ sunt, & araneis fragiliora. Ego millies mori paratus sum. Nec gratia mihi in hoc est, sed debitum reddo. Neque id mirum A.A. nihil enim erat ferventissimis illis Ecclesiæ Pastoribus tam asperum, horridumque, quod propositâ sibi animarum salute, tanquam Hyblæo melle conditum, dulcissimum protinus, jucundissimumque non fieret. Quis eos ferreos quodammodo, atque adamantinos fecit, ut summo studio Divinas, Humanasque Literas consectarentur, & innumeris commentariis doctissimè elaboratis adjumentum Christianæ Reipublicæ importarent? Animarum salus. Quis in agenda pro rostris æterni Numinis causa tantâ illos virtute, ac fortitudine armavit, ut antea vox in dicendo, quàm animi fervor, & constantia deficeret? Animarum salus. Quis adeo strenuos, atque imperterritos reddidit, ut publicis etiam objurgationibus improborum hominum flagitia carpere, eorumque temeritati, impotentiæ, pertinaciæ bellum indicere non timuerint? Animarum salus. Eos, inquam, una docuit animarum salus orphanorum, & viduarum causam suscipere, inopum rationem habere, innocuos, probosque viros a calumniis vindicare: Docuit Sacris Divorum templis obse-

quium,

quium, ac venerationem redimere, rapere prædonibus virgines, meretricios quæstus evertere: docuit denique rem omnem Christianam tueri semper, fovere, complecti, & sartam, tectamque, ut ajunt, integram, incolumem, incorruptam ab omni tartareæ potestatis incursione servare.

Hæc est PP. AA. hæc est omnino summa illa, & perfectissima Charitas, quæ singulis Sacrorum Ministris, maximè verò, quibus Ecclesiarum regimen fuerit demandatum, insidere animo penitus debet; Eos enim Divinus Filius ideò potissimùm Sacerdotii sui Successores vocavit: ideò Muneris præclarissimi in societatem assumpsit: ideò nobilissimis, splendidissimisque titulis insignivit, ut funestissimas errorum tenebras mentibus mortalium depellerent, ut perficiendo humanæ Redemptionis operi suas ipsi quoque manus adjungerent, ut fœderis Deum inter, & homines conciliandi, renovandique fierent auctores, ut virtute firmissima, infatigabilique constantia pro omnium salute, incolumitate, profectu, nullo non tempore decertarent. Qua se porrò excusatione defendent teterrimo illo, plenoque horroris die, quo eos, absumpta supremis ignibus hac rerum Universitate, in quæstionem durissimam postulabit, ovesque suas, quotquot eorum torpore, negligentiâque perierint, districtè reposcet? Quid, inquam, excusatio-

 nis

nis habebunt, cum fortissimi Ecclesiæ Pastores in totius mundi conventu tam multis sedulitatis, ac vigilantiæ testimoniis Fidem suam acerrimè comprobaverint? Quam denique sceleri suo quæsituri, sunt latebram; cum vel ex antris, nemoribusque abditissimis, vel è sæculi fluctuantis tumultu Christianis hominibus in periculo constitutis tam multos passim auxilio venisse, atque hanc ipsam ferventissimæ Charitatis laudem non modò secretissimis gynæceis, sed ne ipsis quidem Sacrarum Virginum penetralibus denegatam esse cognoverint?

Sed quid ego hæc coram Sanctissimis, ac Religiosissimis Patribus tanta sermonis prolixitudine, tanta vocis, animique contentione percenseo? Has profectò querelas, atque orationis mordacitatem, ac virulentiam nemo est, quin intelligat, ad eam potissimum occasionem servari debuisse, quâ mihi dicendum foret apud inertissimos illos homines, qui Sacerdotalis fidei desertores veriùs, quàm Christi Sacerdotes appellari meruerunt. At quoniam summo Dei beneficio, hæc lectissima Sacerdotum Corona tam longè abest a cæterorum desidia; ut nihil eâ solertius, nihil attentius, vigilantius nihil inveniri possit, verendum PP. ne mihi quoque cum peroravero, id omniò contingat, quod de Phormione illo Peripatetico testatur Tullius; (1) Cum enim coram

(1) Cic. 2. de Orat.

ram Annibale de imperatoris officio, deque omni re militari Ephesi disputasset, rogatus Annibal quid tandem de hominis facundia sentiret: *multos se deliros senes vidisse*, dixit, *qui autem magis quàm Phormio deliraret, vidisse neminem*. Quicquid tamen de mea dicendi ratione Vobis judicare libuerit, interim certè recreat me vehementer, ac reficit cogitatio diligentiæ vestræ: & qui tam multos in amplissimo Sacerdotum Ordine marcentes otio videre cogor, vestram contra in juvandis animis alacritatem, dexteritatem, solertiam mecum ipse voluntas, è quodam veluti doloris æstu, protinus me ad jucundissimæ voluptatis portum recipio. Vobis itaque, Fesulanæ Ecclesiæ Spectatissimi Proceres, qui principem in tota Diœcesi tenetis locum: Vobis, qui amplissima Collegia, vestro Consilio, & Sapientiâ decoratis: Vobis, quorum Virtutibus præstantissimis Sacri Pastoris munus exornatur magis, quàm Vos exornat: Vobis denique omnibus, qui de gravissimis rebus deliberaturi Sacris hisce Comitiis adestis frequentes, nunquam desinam gratulari, quòd vestra in agendo sedulitas ab ea Vos infamia sinceros, integrosque reddiderit, quam suscepti Sacerdotalis Officii negligentia vobis æternam inussisset. Præcipuè verò quam maxima possum significatione lætitiæ, gratulor Vigilantissimo Præsuli, Patrique nostro amantis-

simo,


ſimo, qui Sanctiſsimis Inſtitutis, ac Legibus, maximaque illa, atque admirabili Providentia, qua nulli præclariſsimorum Pontificum ſecundus eſt, Filiorum ſalutem ab omni periculo cuſtodivit: & quod Romano illi Cæſari tributum eſt laudi: (1) Omnium domos vigiliis ſuis, omniumque otium ſuo labore defendit; ſicut enim, ut præclarè Chryſoſtomus: (2) *orientibus ſolis radiis, & tenebræ fugantur, & feræ latitant, foveiſque conduntur, & latrones recedunt, & adulteri, & fures periclitantes abeunt, ſeſeque alicubi procul occultant*: ita Ille prorſus auctoritate, ac vigilantia ſua fugam inſcitiæ, vitiiſque exilium indixit: ita morum integritatem, atque innocentiam, in veterem ſplendorem, dignitatemque reſtituit: ita demum ſui Gregis Cuſtodibus ſomnolentiam omnem excuſsit; dumque illos ad ovium curam aſsiduam documentis ſaluberrimis informavit, facile, ac planum eſſe quod docuit, ſuo ipſe declaravit exemplo.

Quoniam itaque, Ornatiſsimi PP. Synodalibus tanti Præſulis Legibus impigro ſemper, & alacri animo parere conſueviſtis, quid aliud potiùs expectandum eſſe videatur, quàm ut eas etiam, quas vobis hodie ſervandas proponit, avidiſsimè ſuſcipiatis, ex iiſque, velut è fonte defæcatiſsimo, quicquid ad San-

(1) Senec. ad Polyb. c. 20. (2) S. Cryſoſt. Hom. 4. de Laud. S. Pauli.

Sanctitatem Vitæ, ad ſeveritatem Diſciplinæ, ad veram denique, & abſolutam Chriſtiani Sacerdotis formam reſtituendam pertinet, haurire perpetuò laboretis? Illud igitur a Vobis enixe peto, atque contendo, ut egregiam illam, ac ſingularem veſtræ voluntatis conſtantiam, quà omnem vos operam, laborem, induſtriam ad Chriſtianorum utilitatem, eorumque Virtutis, ac Sanctimoniæ incrementum aſſiduiſsimè contuliſtis, diligentiſsima hujuſmodi Sanctionum cuſtodia, tanquam unico, validiſsimoque præſidio firmandam exiſtimetis; ita enim profectò fiet, ut communis illa Bonorum omnium querela, quæ de Sacerdotum incuria nimium vehementer increbuit, ampliſsimam veſtri Nominis gloriam deterere nunquam poſsit; ſed nihil in poſterum, niſi una omnium vox, una omnium laus, lætitiaque de omnium veſtrum in ſalute animarum quærenda, ſedulo ſtudio, curaque indefeſſa, undique ſemper audiatur. Dixi.

IN NOMINE
SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ
TRINITATIS
PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.



Os Aloysius Maria Strozza, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia, Episcopus Fesulanus, & Comes Turrichii, ad majorem ejusdem Dei Omnipotentis, Beatissimæ semper Virginis Mariæ, ac Divi Romuli Primi hujus Fesulanæ Ecclesiæ Præsulis, atque Patroni, in hac secunda Nostra Synodo pro spirituali Cleri, & Populi Nostræ Curæ commissi augmento, ac morum, ubi opus sit, instauratione, & reformatione, has, quæ sequuntur, Constitutiones, & ad primam Synodum Additiones, sancimus, promulgamus, & observandas mandamus.

SE-

SECUNDA SYNODUS FESULANA

Continens additamenta quædam Constitutionibus Synodalibus primùm editis.

AD TIT. I. LIBRI PRIMI

DE FIDEI PROFESSIONE.

SUMMARIUM.

1. *Totius justificationis, & consummationis initium Fides Catholica a novis Doctrinis est custodienda.*
2. *Fidei regula nonnisi a Romana Ecclesia est accipienda.*



UM Fides Ortodoxa sit radix omnium virtutum, & si super hoc fundamentum ædificaverimus, docente Divo Ambrosio, hoc solum ad operis nostri fructus, & virtutis proficiet mercedem (1): Apostoli monitis inhærentes Parochos omnes, ac quascumque alias personas Pastorali nostræ Curæ commissas quantum in Domino possumus hortamur; ut ædificati super fundamentum Aposto- 1.

A lorum,

(1) D. Ambr. de Cain., & Abel.

lorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu (1), doctrinis variis, & peregrinis abduci nolint (2): sed in omnibus sumentes scutum Fidei & gladium spiritus, quod est verbum Dei (3), Fidei sint filii in acquisitionem animæ (4); in hac enim testimonium consecuti sunt Sancti (5), qui per Fidem vicerunt Regna, operati sunt ju-
2. stitiam, adepti sunt repromissiones (6). Omnes igitur adspicientes in Authorem Fidei, & consummatorem Jesum (7): stantes in eodem Spiritu evangelicæ veritatis, forti, & puro corde profiteamur quicquid Sancta Romana Ecclesia columna, & firmamentum veritatis, omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra profitetur, & docet; in ea siquidem possumus Domino cum regio Psalte decantare: Viam veritatis elegi (8): Testimonia tua credibilia facta sunt nimis (9).

AD TIT. II.

DE DOCTRINA CHRISTIANA TRADENDA.

SUMMARIUM.

1. *Quanta Parochi pollere debeant sapientia.*
2. *Populum instruere in iis, quæ ad Fidem, & mores pertinent, præcipuum Parochorum Officium.*
3. *Parochis, Concionatoribus, ac Confessariis strictè præcipitur*

(1) Ephes. 2. 20.
(2) Hebr. 3. 9.
(3) Ephes. 6. 16. 17.
(4) Hebr. 10. 39.
(5) Ibid. 11. 2.
(6) Ibid. v. 33.
(7) Ibid. Cap. 12. 2.
(8) Ps. 118. 30.
(9) Ps. 92. 5.

pitur, ut graviter invehant in Parentes, & Dominos, qui curam Christianæ Catechesis quoad filios, & famulos negligunt.

4. *Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum vernacula lingua, Parochi Pueros congruo temporis spatio edocere debent.*

5. *Quomodo se gerere debeant, si contigerit eos aliquo die festo Doctrinam Christianam edocere non posse.*

6. *Puellæ separatim a pueris sunt instruendæ.*

7. *Quid agere debeant Confessarii cum iis, qui principalia Fidei rudimenta ignorant.*

8. *Et quid, si provectioris fuerint ætatis.*

9. *Clerici in Sacris constituti Coadiutores Parochorum, in solis tamen masculis edocendis.*

10. *Cujus operis testimoniales literas, quando opus fuerit deferre debent.*

11. *Societas Doctrinæ Christianæ in quibus locis erigenda.*

12. *Ejusdem institutionis Instructio publicè a Parochis legenda.*

QUONIAM verò ministrare in Fide virtutem, & in virtute scientiam ad pascendum gregem Domini (1) nos monet Princeps Apostolorum; labia siquidem Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem exquiret Dominus ex ore ipsorum (2): animadvertant Pastores Animarum, quanta eos oporteat præditos esse sapientia, & qua assiduè cura scrutari debeant Scripturas, & in lectione sacrorum librorum versari, amplectentes eum, qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem; ut potens sit unusquisque eorum exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere (3): timendum enim 1.

 val-

(1) 2. Pet. 1. 5.
(2) Malach. 2. 7.
(3) Ad Tit. 1. 9.

valde eſt, quod olim per Oſeam minitatus eſt Dominus: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi (1).

2. Dum itaque Parochos omnes, & quoſcumque Curam Animarum habentes obſecramus enixè, ut arctiſſimam seriò perpendant obligationem, qua tenentur in ſpiritu, & veritate parare Domino plebem perfectam (2); cum proprium ſit Paſtorum officium, ut ait Angelicus Doctor, ea docere, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores (3): quia non ſine maximo cordis Noſtri mœrore intelleximus pueros, & famulos partim incuriâ, partim ſocordiâ Parentum, & Dominorum propriæ obligationis immemorum, nunquam, vel rarò quibuſdam in locis ad Eccleſiam tempore Chriſtianæ Catecheſis accedere, ut in-

3. ſtruantur; idcirco ut huic malo occurramus, Parochis inter Miſſarum Solemnia, Concionatoribus è Suggeſtu, Confeſſariis in Sacramento Pœnitentiæ ſtrictè præcipimus, ut crebrò efficacibus verbis, & exemplis arguant, & increpent, graviſſimæ hujus culpæ reos, de qua in extremo divini Judicis examine rationem ſunt reddituri (4).

4. Ut autem Animarum Paſtores in colenda vinea ſibi a Domino tradita uberiores faciant fructus ſuos: volumus ut accomodantes ſe ad captum puerorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Apoſtolicum Symbolum vernacula lingua eos edoceant (5); tantum temporis impendentes, quantum ſatis fuerit, & expedire videbitur, ut faciliùs ea addiſcere, & memoriæ mandare valeant.

5. At ſi aliquando contigerit eos (prævia tamen ſemper

Noſtra

(1) Oſ. 4. 6.
(2) Luc. 1. 17.
(3) D. Th. in Ep. ad Epheſ. 4.
(4) Encyclica S. Cong. Conc. 19. Januarii 1719.
(5) Ibidem.

Nostra licentia) ad aliquam alibi solemnitatem die festo celebrandam convocari ; adeòque explicandæ debitæ Catechesi operam dare nequeant : jubemus ut talem explicationem vel in diem festum antecedentem anticipent, vel in subsequentem ejusmodi festivitati diem transferant, & consuetum in edocendo temporis spatium ea vice in longiùs protrahant : nisi fortè id possent alia feria hebdomadę commodiùs adimplere ; eorum super hoc conscientiam onerantes.

Et quia memores fuimus, quod dividebat Altissimus 6.
gentes, & separabat filios Adam (1) ; mandamus, ut puellæ quæ sunt ornamentum gratiæ spiritalis, & laudis, & honoris opus incorruptum (2), separentur a pueris ; ut pari animi integritate servata, Christianæ Fidei dogmata attentiùs audiant, & percipiant.

Confessarii omnes, nemine excepto attenta necessitate, 7.
ne sint uti Prophetæ, de quibus dolet Jeremias, qui non aperiebant os suum, ut ad pœnitentiam populos provocarent (3), pœnitentes interrogent de præcipuis Christianæ Doctrinæ rudimentis ; & quos inscios, & culpabiliter negligentes noverint, meminerint eos sacramentalis absolutionis capaces non esse, juxta propositionem damnatam a S. mem. Innocentio XI. sub n. 64. : unde vel dimittant, vel si rationabilis aliqua causa id exigat, instruant de necessariis ; & dummodò spes emendationis appareat, imponentes loco pœnitentiæ salutaris accessum ad Parochos, qui per Catechesim ostendant Regnum Dei, ac dent eis scientiam sanctorum (4), feriò admonitos absolvant : quos verò Parochi repererint provectioris ætatis, 8.
rudes, & ignaros, ne subeant gravamen pudoris, benignè,

(1) Deut. 32. 8.
(2) D.Cypr.de hab.& disc.Virg. c. 2.
(3) Jerem. 2. 14.
(4) Sap. 10. 10.

gnè, & humaniter ad propriam domum canonicalem invitent, gratià edocendi eos in iis, quæ ad observantiam, & præcepta Fidei Christianæ pertinent.

9. Clericos omnes, qui Subdiaconatus, & Diaconatus Sacro Ordine sunt initiati Coadiutores Parochorum in tam præclari, & necessarii operis adimplemento statuimus; ita tamen, ut ii solis masculis Doctrinam Christianam expli-
10. cent, & declarent, utentes libris in alia nostra Synodo
ad id præscriptis. Quod si id peragere renuerint cum detrimento propriæ, & alienæ salutis; sciant se nullo modo ad altiorem Ordinis gradum esse promovendos, nisi literas testimoniales proprii Parochi in fidem auxiliarii operis ei præstiti Nobis exhibuerint: & hoc inter alia requisita præcipuum connumeramus.

11. Tandem ut omnium Christifidelium nostræ Diœcesis corda alacriùs, & ferventiùs Doctrinæ Christianæ, seu addiscendæ, seu promovendæ operam dent, & ad lucrandos cœlestium gratiarum favores eò magis excitentur: præcipimus, ut in quibuscumque Collegiatis, & Parochialibus Terrarum, & Castrorum, cæterisque Ecclesiis, curam Animarum habentibus, in quibus id commodè fieri poterit, erigatur Societas Doctrinæ Christianæ, juxta In-
12. structionem appositam in Appendice sub N. I. perlegendam
publicè a Parochis, ad effectum lucrandi Indulgentias, quas Summi Pontifices hujusmodi Confraternitatibus sunt elargiti.



AD

AD TIT. III.

DE PRÆDICATIONE VERBI DEI.

SUMMARIUM.

1. *Dignitas Prædicationis Verbi Dei.*
2. *Quomodo Parochi hoc munus implere debeant.*
3. *Si qua de causa Concionator electus impediatur, monendus illico Episcopus.*
4. *Concionatoribus exhibeatur Libellus, cui titulus* Avvisi, ec.
5. *A Parochis, & Concionatoribus eleemosyna pro Terra Sancta maximè populis commendanda.*
6. *Regulares diligenter attendant ad Constit. Clement. X. incipien.* Superna, &c.

QUANTA sit Evangelicæ Prædicationis sublimitas, quanta ejus necessitas ad salutem æternam consequendam, ex eo colligi potest, quod ipsemet Deus multifariam, multisque modis olim loquens Patribus in Prophetis, locutus est nobis in Filio (1), qui deinde Apostolis postquàm resurrexit a mortuis præcepit prædicare populo (2). Quapropter omnibus Parochis, & aliis jubemus, ut hoc grande munus, dignè, & laudabiliter, ea majestate, qua decet, exerceant: reminiscantur se esse Divini Verbi Satores, vocatos in hereditatem evangelizantium pacem, evangelizantium bona (3), pro Christo legatione fungentes (4). Habeant ergo lumbos succinctos in veritate, & pedes calceatos in præparatione Evangelii 1. 2.

(1) Hebr. 1. 1.
(2) Act. 10. 42.
(3) Rom. 10. 15.
(4) Cor. 5. 20.

gelii (1): teneant lucernas ardentes in manibus suis bonorum operum, & sanctarum virtutum, populis sibi commissis lucis exempla monstrando (2); timentes cum Divo Paulo, ne cum aliis prædicaverint ipsi reprobi efficiantur (3).

3. Omnes Parochi, cæterique Rectores Ecclesiarum, in quibus invaluit prædicandi consuetudo, si propter aliquam imminentem necessitatem, electus Concionator prædicationis officium adimplere nequiverit, vel alia quacumque de causa defuerit, tempestivè certiores Nos faciant; ut de opportuno remedio curam adhibere possimus, quo oves cœlestis Doctrinæ pabulo nutriantur & piæ devotionis erudiantur affectu.

4. Volumus etiam ut a Parochis exhibeatur Concionatori Libellus, nuper typis emissus ad instructionem Parochorum & Prædicatorum, cui titulus -- *Avvisi utilissimi ad amministrare con frutto la parola di Dio*, quem singulis jam elargiti fuimus.

5. Desiderio flagrantes, ut eleemosynæ, quæ quotannis occasione Adventus, & Quadragesimæ colliguntur in Ecclesiis pro Terra Sancta, in qua Dominus noster Jesus Christus humanæ salutis Mysteria operari dignatus est, fiant majori copia, qua fieri possit: ad memoriam revocamus omnium Concionatorum, & Parochorum; ut obsequentes mandatis Summorum Pontificum, & præcipuè S. mem. Clementis X., quæ apponentur in Addit. N. II. summopere excitent corda audientium, ad eas plenis manibus elargiendas.

6. Regulares quicumque sint, diligenter observare curent Constitutionem pariter Clementis X., quæ incipit: *Superna* prout

(1) Ephes. 6. 14. 15.
(2) Greg. hom. 13.
(3) 1. Cor. 9. 27.

prout in anteacta Synodo mandavimus, quæ videri poterit in Appendice sub N. III.

AD TIT. IV.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

SUMMARIUM.

1. *Summa Sacramentorum dignitas, atque efficacia.*
2. *Quanto tum Sacrarum Vestium, tum Ecclesiæ nitore: quo interno cultu, & externo sint ministranda.*
3. *Præter eleemosynas sponte oblatas, nihil omnino pro eorum administratione recipiant Parochi, aliive Ministri.*
4. *Aliàs graviter puniendi.*

SACRAMENTA novæ Legis, quæ ut ait Augustinus, magna sunt opera Domini ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus (1), saluberrimè instituta fuere; ut inde nobis ægrotantibus remedia æterna provenirent, & peregrinantibus cœlestis Patriæ aditus pateret: per hæc enim in vitam suscipimur, intellectus nostri tenebræ veritatis luce diffugiunt, & voluntatis infirmitas gratiæ virtute roboratur. 1.

Cum ergo Parochi, omnesque alii Animarum Curam gerentes sint Ministri Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei (2); eos per viscera Jesu Christi obtestamur, ut seriò, ac frequenter meditentur, & recolant, quomodo eos oporteat in Domo Dei conversari: habentes mysterium fi- 2.

(1) Aug. de var. Relig. (2) 1. Cor. 4.

dei in conſcientia pura (1), reminiſcantur quanta Domum Dei deceat ſanctitudo, quis ſacrarum veſtium, & ornamentorum nitor; & quæ major in Miniſtris ſit neceſſaria animi puritas, verborum candor, integritas operum: qua gravitate, reverentia, majeſtate in cultu, in apparatu, & ſacrarum ceremoniarum obſervantia ad Sacramenta conficienda, & miniſtranda procedere debeant, ad cultum divinum augendum, & ad populorum devotionem excitandam: nam langueſcit ſecularium pietas, ubi vita Clericorum non ſplendeſcit.

3. Quoniam verò oportet Parochos irreprenſibiles eſſe, non turpis lucri cupidos; ut non in opprobrium incidant & in laqueum Diaboli (2), caveant ne in adminiſtrandis Sacramentis, vel Sacramentalibus quicquam penitus ſeu directè, ſeu indirectè, per ſe, vel per alios poſtulent, exigant, recipiant, exceptis eleemoſynis ſponte oblatis (3): ne illis in æternam eorum perniciem ſit exprobrandum: Pe-
4. cunia tua ſit in perditionem (4). Tranſgreſſores autem graviter arbitrio Noſtro, ut par erit, punientur.

AD TIT. V.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

SUMMARIUM.

1. *Per Baptiſmum morimur peccato, ut Deo vivamus in charitate.*
2. *Nemo audeat præter Parochum, aliumve ab eo ſuffectum Baptiſma conferre ſolemniter.*

3. In-

(1) Timoth. 3. 9.
(2) Ibid. v. 2., & v. 7.
(3) Monacel. p. 1. tit. 16. n. 17.
(4) Actor. cap. 8.

3. *Infantes, nisi obstet consuetudo, in propria respectivè Paraecia, vel Plebania sunt baptizandi.*
4. *Parochi Baptizatorum nomen, &c. in Libello describere negligentes, gravibus erunt poenis puniendi.*
5. *Baptizando idem omnino nomen fratris, aut sororis etiam praemortuae non imponatur.*
6. *Nec item solum prophanum imponi nomen permittatur.*

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas (1); ut sepeliret veterem Adam in aquis (2): unde per carnem Christi, quae peccatum non cognovit, fieret nobis lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti (3), ut essemus immaculati in conspectu ejus in charitate (4). Quapropter cum Baptisma inter cetera Sacramenta principem locum teneat, & Sacramentorum omnium sit Janua, per quam generi humano patet aditus ad Coelos, ad hauriendas aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (5): paternae Nostrae vigilantiae ratio postulat; ut de iis, quae ad illud dignè, salubriter, & cum summa reverentia conferendum conducere possunt, universos tanti Sacramenti Ministros admoneamus. 1.

In Ecclesiis, in quibus Baptismi Sacramentum conferri solet, nullus Sacerdos illud ministrare audeat, nisi Parochus eiusdem Ecclesiae (6), vel alius Sacerdos ab eodem Parocho ad hoc munus suffectus; neque alius omnino praeter casum necessitatis (7), sub poenis arbitrio Nostro infligendis. 2.

Volumus etiam, ut Infantes recens nati in illis Plebaniis 3.

(1) Ps. 28. 3.
(2) Gregor. Nazianz. in Sanc. Cun.
(3) Tit. 3. 5.
(4) Ephes. 1. 4.
(5) Is. 12. 3.
(6) Trid. sess. 24. de refor. cap. 13.
(7) Barbos. de offic., & potest. Par. p. 2. cap. 18.

niis, seu in aliis Ecclesiis, in quibus administratur Baptisma, & quibus sunt subjecti, tantummodo hujusmodi Sacramentum recipiant; salva consuetudine per quam sit obtentum ut infantes possint baptizari in aliis Ecclesiis:

4. & ubique in Libello ad id deputato, & quotannis a Parochis ad Nostram Curiam transmittendo vigore praecedentis Synodi, Baptizatorum, eorumque Parentum, & Patrinorum nomina, & diem, & annum collati Baptismi, & alia juxta formulam Ritualis Romani, accuratè describantur. Omittentes verò hujusmodi descriptionem, praeterquamquod gravis sunt culpae rei, ob multa, & gravia, quae ex hujusmodi omissione damna sequi possunt, sciant se in ratione eorumdem librorum annuatim Nobis reddenda, aequales tantae incuriae poenas arbitrio Nostro soluturos.

5. Ut omnis ambiguitas in impositione nominis penitus amoveatur, praecipimus Parochis, ut ne Infanti sinant idem imponi nomen alicujus fratris, vel sororis, quae diem jam suum obierit; sed aliud quoque adjiciatur ad distinctionem, & pro tollendis erroribus, qui semel, atque iterum accidere possent in conscribendis literis testimonialibus diei, & anni, in quibus ad lucem prodivit.

6. Admonemus insuper Plebanos, & ceteros ut supra diximus Ministros Sacri Baptismatis, ut in imponendo nomen Baptizando, nullatenus admittant aliquod ex Gentibus, Catholicae dissonum pietati: sed eorum nomen curent imponi, qui in Sanctorum albo connumerantur (1).

AD

(1) Rit. Rom. de Sac. Bapt. §. *Quoniam*.

AD TIT. VI.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

SUMMARIUM.

1. *Præstantissimum Divini amoris argumentum Eucharistia, singularia exigit cultus, ac pietatis officia.*
2. *Circa sacrarum Pyxidum custodiam, Decretum Innocentii XIII. sub iisdem pœnis servandum omnino.*
3. *Sacras Particulas innovare statuto jam tempore negligentes, pœnam suspensionis ipso facto incurrant.*
4. *In duabus Ecclesiis ejusdem Oppidi, aut Terræ non est publicè exponenda eodem die Eucharistia; sicut nec in ruralibus Ecclesiis quæ passus bismille non distent: nullibi verò sine prævia licentia.*
5. *Sub gravibus pœnis interdicuntur repræsentationes in hebdomada majori, & in festo Corporis Christi.*
6. *Quomodo extra Ecclesiam deferendum Sanctissimum Christi Corpus.*
7. *Clerici quoties sacra Synaxi refici debeant, & sub qua pœna si negligant.*
8. *Laici ut frequenter, & saltem festis solemnioribus ad sacram Communionem accedant hortantur.*
9. *Ad æmulationem verò, non est publicæ adorationi festivo apparatu exponendum divinum hoc Sacramentum.*

1. UNIGENITUS Dei Filius ex hoc Mundo transiturus ad Patrem præ amoris magnitudine, qua dilexit suos & usque ad finem amoris, ut ait Augustinus, dilexit eos; decrevit parare Mensam Populo suo (1); fecit grande convivium, Corporis scilicet, & Sanguinis sui, volens nos suæ divinitatis esse participes (2). Hoc ergo tantæ excellentiæ Sacramentum, qua decet animi puritate, integritate, sanctitate adoretur; summa cum religione ministretur, & perpetuo nitore, & singulari munditia custodiatur.

2. Humillimè interim obtemperantes mandatis san. mem. Innocentii XIII. sub die 8. Januarii anni 1724. a Nat. emanatis super accurata sacrarum Pyxidum custodia, iterum, atque iterum sub iisdem pœnis a transgressoribus persolvendis, observandum proponimus idem Decretum, quod apponetur in Appendice N. IV.

3. Innovatio sacrarum Particularum diligenter fiat, juxta sancita in anteacta Synodo de SS. Eucharistiæ Sacramento tit. 7. §. 1. n. 4. sub pœna suspensionis latæ sententiæ delinquentibus, Nobis reservatæ.

4. In Terris, & Oppidis nostræ Diœcesis præcipimus ne publicæ venerationi exponatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, nisi in una tantùm Ecclesia eodem die: in singulis verò Ecclesiis ruralibus non interdicimus expositionem Eucharistiæ, dummodo una Ecclesia sit procul ab altera duobus saltem milliariis; & expositio prædicta semper fiat cum præcedenti Nostra licentia, prout statutum fuit in alia Nostra Synodo.

5. In festo Corporis Christi, ne ad alia distrahamur, sed oratio nostra dirigatur sicut incensum in conspectu Domi-

(1) Ps. 77. 20. (2) S. Th. Opusc. 57.

Domini (1), maxima nostri Spiritus alacritate, & virtutis incremento, dum cœlestis Sponsus per vicos, & plateas circumfertur adorandus, nullibi fiant repræsentationes, & spectacula, vulgò *Misteri*; neque etiam Feria sexta in Parasceve: aliàs in supradictis, vel unoquoque eorum casu contravenientes incidant in pœnas arbitrio Nostro infligendas.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sive in Processionibus, cultus & honoris causâ, ut in festo Corporis Christi; sive ad Infirmos pro Viatico, & sacra Communione deferatur, antecedant laternæ præ ceteris nobiliores cum suis hastis; ita undique vitro clausæ, ut candelæ intus accensæ extingui nequeant: dum verò venerabile Sacramentum cum facibus ardentibus comitamur, major in nobis sit ignis, qui intus urat, quàm qui foris accenditur. (2) 6.

Clericos omnes Subdiaconatus, & Diaconatus charactere insignitos, quoties proprium Officium eos exercere in Missa decantata, saltem diebus Dominicis, & Solemnibus contigerit (3); Clericos verò inferiores, seu Ecclesiæ Cathedralis, seu alicujus Collegiatæ, aut Plebaniæ, primâ saltem Dominicâ cujuslibet mensis inter Missarum solemnia sacra Synaxi refici volumus, atque præcipimus: nec sperent se ad alios Ordines assumendos, nisi per fidele Parochi testimonium hæc adimplevisse docuerint. 7.

Laicos quantum possumus deprecamur, & obsecramus; ut præter annuam in die Resurrectionis Christi Domini Communionem, frequentiùs ad Dominicam Cœnam manducandam conveniant (4), & in præcipuis anni solemnitatibus; nempe in festo Pentecostes, Corporis Christi, Assum- 8.

(1) Ps. 140. 2.
(2) S. Leo in Nat. S. Lauren.
(3) Conc. Trid. sess. 23. de ref. cap. 13.
(4) 1. Cor. 11. 20.

ſumptionis Deiparæ Virginis, in feſto Nativitatis Domini Jeſu Chriſti, & Omnium Sanctorum: ut faciliùs viam mandatorum Domini currant (1), & in fortitudine cibi illius ambulent uſque ad montem Dei (2).

9. Laudabilis equidem commiſſi Nobis Gregis erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pietas, ac religio: ſed quoniam nimia, & frequens tanti Sacramenti expoſitio, plerumque ad emulandum adhibita, admodum vileſcere videtur (3); dilectiſſimum Populum Noſtrum in Domino hortamur, ne ita frequenter iteret feſtivas hujuſcemodi expoſitiones: enim verò ut Petrus Bleſen. notavit, ſolet generari ex aſſiduitate contemptus, ſicut accenditur ex ipſa raritate devotio (4).

AD TIT. VII.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

SUMMARIUM.

1. *Qua ratione Sacerdos ſacroſanctum, atque efficaciſſimum Miſſæ Sacrificium offerre debeat.*
2. *De Myſterii hujus excellentia frequenter eſt aliquid populis exponendum.*
3. *Probet ſe ipſum ſæpe Sacerdos; confiteatur tamen peccata ſua priuſquàm ſacras veſtes induat.*
4. *Ante etiam quam accedat ad Altare, neceſſaria præparet, Miſſamque perlegat: quod ſi rite fecerit, Indulgentiam 40. dierum lucrabitur.*

5. *In*

(1) Pſ. 118. 32.
(2) 3. Reg. 19. 8.
(3) Pignat. T. 9. conſ. 79. n. 12.
(4) Petr. Bleſ. ep. ad Reic. Landin.

5. *In Cathedrali, & Collegiatis distributio horarum pro Missarum celebratione servanda exactè. Qui verò in Ecclesia designata diebus festis non celebraverit, unius libræ pœna multandus.*
6. *S. R. C. Decretum de numero Missarum Fer. 5. in Cœna Domini servandum.*
7. *In Missa verò solemni ejusdem diei universus Clerus ad sacram Communionem accedat.*
8. *Iterata S. Cong. C. T. monita de onere Parochorum celebrandi pro Populo diebus festis omnibus de præcepto.*
9. *Pœna duorum scutorum imponitur Sacerdotibus cum caligis albis celebrantibus: eisque, atque item Clericis Altari ministrantibus saltem sine Succintorio.*
10. *Declaratur anteacta Synodi Decretum circa vagos Sacerdotes ad celebrandum accedentes.*
11. *Missæ celebrandæ a Beneficiatis tempore, & loco a Fundatoribus præscripto.*

AD placandam Æterni Patris iram, & ad reconciliandum authori suo naturam generis humani, Dominus Jesus Christus Summus Sacerdos in æternum, & verè Pontifex, obtulit holocaustum Corporis, & Sanguinis sui super Altare Crucis; odoratusque est Dominus odorem suavitatis (1). Cum ergo nihil sit acceptabiliùs Sacrificio Missæ Divinæ Majestati, nihil pro revocandis ad meliorem frugem peccatoribus, expiandisque sceleribus utiliùs, atque efficaciùs; accedat Sacerdos ad Altaris tribunal ut Christus, assistat ut Angelus, ministret ut Sanctus, populorum offerat vota ut Pontifex, interpellet pro pace ut mediator; pro se autem exoret ut homo (2). Quapropter in eo offerendo omnem navet operam, 1.

C

1) Gen. 8. 21.

(2) S.Laur.Just.Ser.de Corp.Christi.

ram, ut cuncta venerationem, pietatem, integritatem redoleant.

2. Juxta Sanctiones Sacrosancti Concilii Tridentini Seff. 22. Cap. 8. finguli Paftores, & alii Animarum Curam gerentes, inter Miffarum folemnia, diebus præfertim Dominicis, & feftis, frequenter vel per fe, vel per alios ex iis, quæ in Mifsa leguntur, præcipuè hujus Sanctiffimi Sacrificii, aliquid Populo exponant.

3. Sacerdotes celebraturi, etfi nullius læthalis criminis fibi confcii fuerint, peccata fua venialia femel faltem in hebdomada, humiliantes Omnipotenti Deo animas fuas, confiteantur. Caveant tamen, ne ad Confeffionem accedant poftquam fe facris veftibus induerint, cum id minimè deceat (1).

4. Curent præterea, ut omnia ad Sacrificium peragendum neceffaria, antequam ad Altare ingrediantur fint rite difpofita; ficut & fignacula in Miffali fint fuis in locis aptata. Illis verò, qui attentè Miffam celebrandam ante perlegerint, quadraginta dies de vera Indulgentia mifericorditer in Domino elargimur.

5. In Cathedrali, & Collegiatis Ecclefiis circa diftributionem horarum pro Miffarum celebratione, laudabiles Conftitutiones obfervari volumus, atque mandamus. Canonici verò, & ceteri quocumque honore, & dignitate præfulgeant, quibus incumbit onus diebus feftis Miffam in eorum refpectivè Ecclefiis celebrandi, fi præfato oneri non fatisfecerint, unius libræ Sacriftiæ applicandæ pœna multantur.

6. In iis Ecclefiis, in quibus Feria quinta in Cœna Domini fervatur Ven. Sacramentum in Sepulchro reconditum, una tantummodo, vel altera, fi neceffitas id exige-

re

(1) Pignat. tom. 9. conf. 90. n. 118.

re videatur, Missa celebretur; juxta antiquam Ecclesiæ praxim, & consuetudinem, & sæpius repetita Sac. Rituum Congregat. Decreta. In aliis verò Ecclesiis, & Oratoriis Missarum celebrationem absolutè prohibemus. Vo- 7.
lumus etiam ut in Missa solemni ejusdem diei universus Clerus, tum Ecclesiæ Cathedralis, tum aliarum Collegiatarum, Terrarum, & Oppidorum Nostræ Diœcesis in memoriam tantæ Institutionis, sicut Apostoli de manu Domini, ita tum Sacerdotes, tum Clerici summa religione de manu Celebrantis Angelorum esca nutriantur.

In executionem Mandatorum, quæ a Sacra Congregatio- 8.
ne Tridentinarum Legum Custode accepimus sub datum die 18. Martii 1733. in responsione ad Literas Visitationis Sac. Liminum; memores facimus omnes Parochos, ceterosque Animarum Pastores, ut Missam pro Populo applicent non diebus tantùm Dominicis, sed Festis omnibus de præcepto.

Seculares Sacerdotes insuper monitos esse volumus, ut ne 9.
ad Venerandum hoc Missæ peragendum Sacrificium calceati caligis albis accedere præsumant. In Ecclesia verò Cathedrali, & Collegiatis, Terris, Oppidis, & Plebaniis Missam celebrare, ceterasque publicas, & Sacras Functiones, sine Veste talari, aut saltem sine Succintorio etiam Clerici exercere non audeant (1), sub pœna contra inobservantes duorum scutorum Locis Piis applicandorum.

Ne ullum oriatur dubium, quæ circa vagos Sacerdotes 10.
in anteacta Synodo Tit. de Oratoriis §. 3. n. 5. perleguntur, -- ibi -- *licet Testimoniales Literas habeant Ordinarii* --, hoc declaramus intelligendum de Literis suorum respectivè Ordinariorum, quæ per Nos, aut Vicarium Nostrum Generalem approbatæ non fuerint.

 Mis-

(1) Monac. tom. 1. tit. 5. tom. 11. n. 2.

11. Missæ celebrentur a Beneficiatis, & aliis, qui ad eas tenentur, in illis Ecclesiis, Altaribus, diebusque, & horis, quibus ex fundatione Beneficii, vel alia quacumque obligatione sunt adstricti (1).

AD TIT. VIII.

DE POENITENTIA.

SUMMARIUM.

1. *Ad Pœnitentiæ Sacramentum, pro venia peccatorum impetranda, dolenter est recurrendum.*
2. *Confessarii omnem impendant operam, ut Pœnitentes verè ad Deum convertantur.*
3. *Quid cavere debent, ne imponant pro satisfactione sacramentali: sed nec eleemosynas spontè oblatas, palam & publicè recipiant in Confessionario.*
4. *Sicuti nec ibidem eleemosynas pauperibus, præcipuè feminis elargiantur.*
5. *Supernaturalis doloris necessitatem & fructus ostendant; modumque eliciendi ignaros edoceant.*
6. *Ad audiendas Confessiones, qui fuerint deinceps approbati, antequam ad munus exercendum accedant, Spiritualibus Exercitiis per* 10. *aut* 8. *dies vacare debent.*
7. *Stamneis laminis, aut ferreis lignea tabula apponenda.*
8. *Decretum de non absolvendo complice in re venerea; quomodo intelligendum.*
9. *Qua formulâ petenda facultas absolvendi a casibus reservatis.*
10. *Ad hanc classem pertinet insuper copula Sponsi, & Sponsæ ante Matrimonii celebrationem.*

11. *Pro-*

(1) Pax Jordan. tom. 1. lib. 4. tit. 1. n. 526.

II. *Procurantes abortum fœtus animati sequuto effectu, sine speciali Episcopi licentia nequeunt absolvi.*

SI gratiâ Baptismatis, ope Divinæ Misericordiæ regenerati, tantæ regenerationis munera (proh miserum!) culpa nostra perdidimus; ideoque cum Filio Prodigo substantiam Patris totam, luxuriosè vivendo, dispersimus: si quid unquam commisimus facinoris, & delicti, surgamus aliquando, & ad talem Patrem, ejus exemplo invitati redeamus (1); cibantes animas nostras pane lacrymarum: quippe qui seminat in lacrimis, in exultatione metet (2). 1.

Verumtamen, cùm animum Nostrum maximè conturbent verba Divi Gregorii Nisseni dicentis: Nos autem verbis, quidem pœnitentiam pollicemur, factis verò nihil studii, laborisque præstamus; sed eâdem vivendi consuetudine utimur, qua priusquam peccata confitendo detestaremur, utebamur; eadem in cultu hilaritas, idem in cultu corporis, victuque splendor; pœnitentiæ nomen dumtaxat, & nullis expressum factis retinemus (3): Confessarios omnes toto cordis affectu deprecamur, ut in adeo sublimi, atque Angelicis humeris formidabili ministerio peragendo, muneri suo omni animi conatu, nunc Pœnitentes in spiritu lenitatis instruendo, nunc adjuvando, exhortando, increpando ad animarum lucrum reportandum, satis superque contendant. 2.

Quare in primis decernimus, & strictè Confessariis prohibemus, ne in Pœnitentiis injungendis imponant pecuniarum largitiones, in ipsorummet Confessariorum usus, vel suorum, aut eorum Ecclesiæ applicandas; nec etiam Mis- 3.

(1) S. Petr. Chrysl. Serm. 5.
(2) Ps. 125. 5.
(3) S. Gregor. Niss. Orat. ad eos qui conv., & pœnit. indigent.

Missas per se celebrandas; atque item caveant, ne in sede confessionali publicè, & palam accipiant eleemosynas pro Sacro faciendo (1).

4. Præcipimus ulteriùs omnibus, & singulis hujus Sacramenti Ministris, ne in actu Confessionis, etiam miseratione commoti, eleemosynas Pauperibus pœnitentibus, præcipuè fœminis, largiantur: quod per quam utile reputamus ad evitandas quascumque suspiciones; sub pœna arbitrio Nostro relicta, extendenda quoque ad suspensionem.

5. Omnem quoque curam impendant, ut Pœnitentes antequam singulare beneficium absolutionis recipiant, se ad verum supernaturalem animi dolorem excitent: rudes verò, & ignaros modum edoceant hunc eliciendi, præsertim veræ contritionis; insinuentque omnibus, ut illum, etiam extra Sacramentum, quotidie ex intimo cordis renovent, ad Dei gratiam, & cœlestia charismata magis, ac magis promerenda.

6. Omnibus, qui ad sacramentales Confessiones fuerint approbati, præcipimus ut sanctis Meditationibus, quas Divi Ignatii Exercitia Spiritualia vocant, antequam ad tam sublime ministerium se conferant per decem, aut octo dies vacent: ut dum septiformis gratia Spiritus Sancti de excelso miserit ignem in ossibus eorum, & erudiverit (2); Pœnitentium mentes in lege Domini instruere; & corda inflammare valeant.

7. Ad evitanda varia pericula, quæ in actu audiendi Confessiones contingere possunt, jubemus ut laminis stamneis, aut ferreis perforatis superimponantur tabulæ ligneæ ad claudendum, & aperiendum aptatæ.

8. Cum in altera Nostra Synodo Tit. eodem de Sac. Pœnit.

(1) Acta Mediol. pag. 432. 1. §. *Siquid*, & pag. 656. §. *Cum pro*.

(2) Thren. 1. 13.

nit. §. 3. n. 9. adempta fuerit cuilibet Sacerdoti facultas abſolvendi complicem in re venerea extra mortis articulum; declaramus quo ad eas actiones eſse complicem intelligendum, quæ per ſe in actum carnalem ſive completum, ſive incompletum prodeunt.

Poſtulantes facultatem abſolvendi ab aliquo Caſu Nobis 9.
reſervato, utantur formula, quæ adiicitur in Append. N. V.

Præter Caſus jam in Synodo ſuperiori Nobis reſerva- 10.
tos, reſervamus inſuper Copulam Sponſi, & Sponſæ cognoſcentium ſe carnaliter poſt ſponſalia rite contracta, ante Matrimonii celebrationem.

Notum ſit omnibus Parochis, & ceteris Confeſsariis no- 11.
ſtræ Diœceſis, quoad abortum fœtus animati data opera quæſitum, & ſecuto effectu, eis denegatam eſse facultatem abſolvendi; niſi ſpecialiter hæc facultas a Nobis conceſsa fuerit.

AD TIT. IX.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

SUMMARIUM.

1. *Ad uberes hujus Sacramenti fructus percipiendos Infirmi diſponendi.*
2. *A quo Oleum Sanctum quotannis obtinendum, atque ubi ſervandum.*
3. *Defectui quomodo ſupplendum.*

Quo-

1. QUONIAM colluctatio nobis est, non tantummodo adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates tenebrarum harum (1): præcipuè in mortis agone imbecillitati nostræ in tanto discrimine clementissimè consultum voluit misericors Dominus, Sacramenti hujus institutione; quo spiritaliter roboramur, in spem erigimur, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequimur. Ad hoc igitur Sacramentum rite ministrandum, & uberiori fructu suscipiendum, quisque quantum poterit sese disponere conetur.

2. Oleum Sanctum ab Episcopo consecratum singuli Præpositi, & Plebani ab Ecclesia S. Mariæ in Campo Civitatis Florentiæ Fesulanæ nostræ Diœcesis quotannis obtineant: ceteri verò Priores, & Rectores a Plebaniis, & Ecclesiis quibus sunt subjecti recipiant; atque illud decenti loco in cornu Evangelii, ac prope Altare ubi servatur SS. Eucharistæ Sacramentum, in parvo clausum Tabernaculo custodiant.

3. Quod si fortè acciderit Oleum Infirmorum infra annum ita imminui, ut satis esse non posse videatur, & aliud consecratum haberi nequeat: tunc superinfundatur modicum oleum non consecratum in quantitate minori, prout statuitur in Rituali Romano, de Sac. Extremæ Untionis n. 3.

AD

(1) Ephes. 6. 12.

AD TIT. X.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

SUMMARIUM.

1. *Quanta Ecclesiasticos vitæ probitate præditos esse oporteat.*
2. *Clerici ad Sacros Ordines promovendi Orationi mentali vacare debent.*
3. *Qui primò Missam solemniter celebrant a lautis conviviis, & seculari pompa abstineant.*
4. *Quid hortari debeant Populum Parochi, publicantes Jejunium Quatuor Temporum.*
5. *Quæ debeant exprimere, ac testari Superiores Regulares in Literis Dimissorialibus pro suis Subditis ad Ordines suscipiendos.*
6. *In conficiendo Ecclesiastico Patrimonio quæ sint servanda.*
7. *Bona hujusmodi patrimonialia in Libris Decimarum nomine proprio fuisse descripta, Diaconi fidem authenticam exhibere debent.*
8. *Clericalem Tonsuram suscepturus, inter cetera testimonium Baptismi proprii Patris ostendat.*
9. *Quæ sint requisita pro singulis Ordinibus suscipiendis.*

SI ad honores Mundi sine suffragio, sine merito laboris indignum est pervenire eos, quos probitatis documenta non adjuvant; quàm diligens, & quàm prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, & cœlestium dignitatum his, quibus Ecclesia Domini regenda credatur (1). Quapropter quanta Nos ne- 1.

D cef-

(1) S. Leo Pap. ad Epis. Afric. Ep. 87.

ceſſe eſt cura, & attentione vigilare ſuper iis, qui Eccleſiaſticæ militiæ nomen dedere, & venerabiles Sacræ Hierarchiæ gradus petunt aſcendere. Sciant autem ii omnes ſe nunquam manuum Noſtrarum impoſitionem conſecuturos; niſi priùs de eorum vitæ integritate, diſciplina, exemplo & laboris merito Nobis apprime conſtiterit; & ea quæ ſequuntur ab illis diligenter fuiſſe ſervata.

2. Omnes Clericos Sacris Ordinibus initiandos Orationi mentali, quæ præcipua eſt ſcientia Sanctorum, addictos eſſe volumus: monente Divo Hieronymo: Oret Sacerdos Eccleſiæ indeſinenter, ut vincat Populos, inviſibiles Amalecitas (1).

3. Clericos verò ad Sacrum Præsbiteratus Ordinem recens promotos hortamur in Domino, ne in prima Miſſa celebranda feſtivos apparatus, & lauta convivia præparent; ſed moderatè, & religioſè ſe gerant: memores quantum inter ſpiritales, & humanas nuptias diſcriminis intercedat; & Divino refectos convivio, faſtidire potius terrenas epulas, quàm immoderato earum luxu delectari debere.

4. Parochi publicando Jejunium Quatuor Temporum de præcepto ſervandum, enixè hortentur Populum, ut ferventes ad Deum preces effundant; ad hoc ut Catholicæ Reipublicæ idoneos Miniſtros providere dignetur.

5. Omnes etiam Regulares Superiores monemus, ut in Literis Dimiſſorialibus ſuorum Subditorum, quos ad Nos pro ſuſcipiendis Ordinibus tranſmittunt, inter cetera deſcribant etiam nomen, & cognomen, quo antequam habitum Religionis ſuſciperent fuerunt inſigniti: & ſi diſpenſationem ab interſtitiis poſtulent, hanc pro neceſſitate, vel utilitate Miniſtrorum in ſuis reſpectivè Eccleſiis, juxta Tridentinum Seſſ. 23. de Reform. petere teſtentur.

Ani-

(1) D. Hieronym. in Levitic.

Animadvertant Clerici, qui titulo Ecclesiastici Patrimonii sunt promovendi, ne in eo conficiendo portio substantiæ, quæ datur illis a Patre, pertineat ad ceteros filios jure legitimæ, sive alterius detractionis (1). 6.

Diaconi autem testimonium Nobis fidele perhibeant, Bona Patrimonialia, quæ vel a consanguineis, vel ab aliis benemeritis acceperunt pro suscipiendis Sacris Ordinibus, in Libris Catasti, seu Decimarum in faciem eorummet Diaconorum esse descripta. 7.

Qui clericali militiæ adscribi desiderant, antequam Tonsuram suscipiant, etiam fidem Baptismatis eorum Patris exhibeant. 8.

Unusquisque sive ad Minores, sive ad Sacros Ordines promovendus, singula requisita Nobis ostendat, quæ in Appendice describentur sub N. VI. 9.

AD TIT. XI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

SUMMARIUM.

1. *Matrimonium tum propter dignitatem, tum propter finem reverenter ineundum.*
2. *Qui Matrimonium contrahere cupiant, ante publicas denunciationes, circa Doctrinæ Christianæ peritiam sunt a Parochis examinandi.*
3. *Matrimonia Filiorumfamilias, Parentibus rationabiliter invitis non permittantur.*
4. *Graviter a Parochis in illicitos amores invehendum.*
5. *Quæve, ac quoties ab ipsis super hac re legenda.*

(1) Ventrigl. p. 1. de tit. Ord. annot. 41. §. 1. n. 24.

1. SACRAMENTUM hoc magnum est (1), designans inseparabilem Christi conjunctionem cum Ecclesia (2), cœlesti cohonestatum benedictione; ut ad Dei gloriam fieret procreatio Liberorum. Accipiant ergo Viri Virgines cum timore Dei, amore filiorum magis, quàm libidine ducti (3); ut per filiorum generationem salventur (4).

2. Parochi antequam ad publicas cujusvis conjugii denunciationes procedant, sub pœnis arbitrio Nostro subeundis, sedulò curent, ut sibi priùs constet de sufficienti peritia contrahentium quoad essentialia Doctrinæ Christianæ capita: nisi urgens necessitas Matrimonium expeditè contrahendi, ab ipsis Parochis cognoscenda, aliud præcisè deposcat: quorum in hoc conscientiam quantum possumus oneramus (5).

3. Mandamus ulterius, ne Filiorumfamilias Matrimonia ineunda denuncient; nisi priùs Parentes consensum præstiterint: & in casu renuentiæ, videant an sint rationabiliter inviti, ac deinde Ordinarium consulant. Non graventur etiam, benignè eosdem Filiosfamilias alloquendo, in medium proferre exempla Patrum veteris Legis, Abrahæ, Isaac, Jacob, ceterorumque Patriarcharum, qui nunquam ad nuptias veniebant, nisi Genitorum authoritate probatas, atque firmatas; qua de causa fœcunditate prolis, & de rore cœli, & de pinguedine terræ benedictionibus replebantur: contra verò Matrimonia contracta, repugnantibus rationabili prudentia Majoribus, obnoxia calamitatibus, & ærumnis sæpe numero esse videmus.

Ad-

(1) Ephes. 5. 32.
(2) Gen. 1. 28.
(3) Tob. 6. 22.
(4) 1. Tim. 2. 15.
(5) Rit. Roman. Rub. de Sacr. Matrim. §. *Paroc.*

Adversùs amores terrenos, & illicitos vehementer exaggerent: nam inordinatus creaturarum amor, ut ait Ludovicus Granatensis, omnibus ferè Diaboli tentationibus, & laqueis materiam præbet (1). 4.

Insuper bis in anno per Parochos legatur publicè Populo sibi commendato Edictum inferiùs exaratum in Appendice sub N. VII. Videantur etiam monita pro Parochorum, & Confessariorum instructione de hac re, similiter in Appendice sub N. VIII. 5.

AD TIT. XII.

DE CELEBRATIONE FESTORUM.

SUMMARIUM.

1. *Dies festi a jure tùm Divino, cùm Ecclesiastico, quomodo sanctificandi.*
2. *Ecclesiastici convenientes ad Festivitates celebrandas a lautis conviviis abstineant.*
3. *Quo ordine ad easdem convocandi.*
4. *Si dies Consecrationis Ecclesiæ solemniter non celebretur; Missa nihilominus, & Officium Dedicationis recitandum.*
5. *Diœcesana Festa a Regularibus etiam in suis Ecclesiis servanda.*

BENEDIXIT Dominus diei septimo ab initio (2): & diem Dominicum, Resurrectionis suæ Mysterio, Jesus Christus Salvator noster sanctificavit. Hoc igitur die sicut in aliis, quos Mater Ecclesia in honorem Dei, & Sanctorum, festos esse voluit, caveat unusquisque 1.

(1) Lud. Granat.

(2) Gen. 2. 3.

quisque ne Judæos imitetur, qui serviliter observabant diem Sabbati ad luxuriam, & ebrietatem (1): sed desinat ab omnibus sæcularibus operibus, nihil mundanum gerat, spiritualibus vacet, ad Ecclesiam conveniat, lectionibus divinis aurem præbeat, de cœlestibus cogitet, de futura spe sollicitudinem gerat, venturum judicium præ oculis habeat; non respiciat ad præsentia, & visibilia, sed ad invisibilia, & futura (2).

2. In celebrandis particularium Ecclesiarum Festivitatibus, ut de Dedicatione, sive de Patrono, vel Titulari, vel quacumque alia occasione, sumptuosa convivia removeantur: valde enim absurdum esse docet D. Hieronymus, nimia saturitate velle honorare, quem scimus Deo placuisse jejunio (3). Sobria itaque sit mensa; & in qua non tantum corporis, sed etiam spiritus recreatio locum habeat.

3. Quoad verò solemnitates hujusmodi in singulis Ecclesiis celebrandas, sive Fidelium Mortuorum saluberrima suffragia peragenda; ut debitus ordo servetur: primò convocentur omnes, qui Ecclesiæ sacrum præstant famulatum in Missis, & sacris Officiis decantandis, & in Confessionibus audiendis; deinde Plebani; postremò ceteri Priores, & Rectores ejusdem Plebanatus gradatim ad libitum Parochi Ecclesiæ, in qua debent convenire.

4. Parochi rurales, qui Ecclesias consecratas obtinent, si festum diem Dedicationis ad publicam solemnitatem non renovent quotannis; volumus omnino, ut saltem Officium, & Missam Dedicationis illo eodem die celebrent juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani.

5. Omnes Regulares ad præscriptum Sacrosancti Concilii Triden-

(1) Aug. tract. 3. in Jo. super illud Lex per Moys.
(2) Orig. hom. 69. in Exod.
(3) Hieron. Ep. 19. ad Eustach.

dentini Festa de mandato Ordinarii per totam Diœcesim instituta, in suis Ecclesiis celebrare tenentur (1).

AD TIT. XIII.

DE PROCESSIONIBUS.

SUMMARIUM.

1. *Processiones publicæ quare institutæ.*
2. *Præter consuetas, aliæ non sunt inducendæ absque debita licentia; & in iis semper confusio personarum præcavenda.*
3. *Qualiter in iisdem Ecclesiastici debeant incedere.*
4. *Qui Confraternitatibus præsunt, diligenter curare debent, ne Sodales aliò divertant, præsertim sacco induti.*

SCIENS Sancta Mater Ecclesia, a Sponso Cœlesti edocta, quod deprecatio justi multum valet (2): ideo supplicationes publicas, seu Processiones instituit; ut Clerus, & Populus effundens coram Domino corda sua in preces, & vota, opem Divinæ misericordiæ implorare, & flagella iracundiæ avertere; gratias, & potiora beneficia consequi posset. Quamobrem ut nostra oratio ad Deum rectè dirigatur infrascripta decernimus. 2.

Vetamus, ne absque Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis licentia ullæ Processiones, præter consuetas, instituantur: & volumus, ad evitandas confusiones, ob majus decus earumdem Processionum, ut semper Laici separentur a Clericis; & eo magis Feminæ a Viris. 2.

Omnibus Clericali militiæ adscriptis, qui sacris Proces- 3.
sio-

(1) Trid. sess. 25. de Regul. cap. 12. (2) Jac. 5. 16.

ſionum functionibus interſunt, ne baculos, chirotechas, aut flores præ manibus geſtent omnino prohibemus; ne quiſpiam cum Hieronymo dicere poſſit: Tales cum videris, ſponſos magis exiſtimato, quàm Clericos (1): ſed in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito procedant.

4. Hortamur tandem enixè omnes Gubernatores, & Præſides Confraternitatum, ut diligenter curent; ne per vias, & plateas fiant divagationes, viſitationes, commeſſationes, cauponarum frequentationes a Sodalibus, præſertim ſacco indutis, vel aliis peculiaribus indumentis, quibus in ipſis Proceſſionibus veſtiri conſueverunt.

AD TIT. XIV.

DE JEJUNIO ET QUADRAGESIMA.

SUMMARIUM.

1. *Ut a pœnis peccatorum ſolvamur, ad Jejunium eſt recurrendum.*
2. *Quadrageſimalis jejunii a quibus, & quomodò dandum ſignum; poſt quod nec ullum cibum ſumere, nec ludos, aut choreas ducere licitum eſt.*
3. *Edictum Quadrageſimalis jejunii in Dominica Quinquageſima publicè legendum a Parochis.*
4. *Approbatio Medicorum comedendi carnes, & lacticinia nonniſi pro propriis Parochianis ſubſcribenda.*
5. *Qui vetitos cibos, diebus a jure ſtatutis, poſt uſum rationis comederit, lethalis erit culpa reus; & ſi contumax, uti ſuſpectus denunciandus.*

MUL-

(1) Hier. ep. 22. ad Euſtoch.

MULTA quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes (1). Ninivitarum ergo exempla sequamur, qui vitiis & luxu damnato, semetipsos jejunio, ac pœnitentiæ addixerunt: suscipiamus illud statutis a S. Ecclesia diebus, orantes, & deprecantes; ut in die resurrectionis cum Domino gloriemur. 1.

Media nocte diem Cinerum præcedente, per sonitum Campanæ majoris tum Ecclesiæ Cathedralis, tum ceterarum Ecclesiarum excellentiorum quarumcumque Terrarum, Oppidorum, & cujuslibet etiam Plebaniæ, detur signum quadragesimalis jejunii imminentis fidelibus populis, intervallo horæ dimidiæ; qui posthac sciant sibi quemcumque cibum, etiam quadragesimalem licitum non esse; sicut nec choreas, aliosque ludos protrahere: a noctis enim illius dimidio initium sumere debet oratio cum jejunio. 2.

Quotannis Dominica in Quinquagesima omnes Animarum Curam gerentes, publicè perlegant Edictum quoad observantiam quadragesimalis jejunii a Nobis æditum; quod videri poterit in Appendice sub N. IX. 3.

Approbationem Medicorum in scriptis comedendi carnes, & lacticinia in Quadragesima, Parochi subscribant pro suis tantummodo Parochianis. 4.

Si quis post usum rationis, absque legitima dispensatione tum in Quadragesima, quàm aliis diebus cujuslibet jejunii, aut abstinentiæ infra annum recurrentibus, carnibus & respectivè prohibitis cibis vesci præsumpserit; eumdem singulis vicibus violati præcepti, & lethalis culpæ reum, & crescente contumacia, suspectum de Fide pro- 5.

(1) Jac. 3. 2.

nunciamus. Propterea si quis notitiam habuerit, aliquem pervicaci animo transgressum fuisse hujusmodi præceptum, ejus nomen ad Nos, vel ad Tribunal S. Officii statim deferat.

AD TIT. XV.

DE FUNERIBUS.

SUMMARIUM.

1. *Praclara erga Defunctos charitatis officia, sepultura, & suffragia.*
2. *Declaratio Synodi pracedentis circa electionem sepultura.*
3. *Quomodo custodienda sepulchra & quid si Patroni per Rectores Ecclesiarum moniti negligant.*
4. *Sub pratextu non soluta eleemosyna denegantes, aut differentes sepulturam, graviter puniendi.*
5. *Qualem eleemosynam lucrari possit Parochus, si extra suam Paræciam Defuncti cadaver sit tumulandum.*
6. *Qualem, si alium Sacerdotem deleget.*
7. *In invitandis ad funus Ecclesiasticis vel id spectet ad Parochum, vel ad Defuncti haredes, quis ordo servandus.*
8. *Edicti Illustrissimi, & Reverendissimi Altovita de funeribus declaratio.*
9. *Extenditur in casu, quo Cadaver extra Parochialem sit sepeliendum.*
10. *Rituale Romanum in Exequiis omninò servandum, & abusus eliminandi.*
11. *Defuncto Episcopo nedum ejus Anima, sed novi Præsulis electio Deo commendanda.*

Ni-

NIHIL Divinum habet homo, quam quod misericordia, benignitateque utitur, ait Divus Gregorius Nazianzenus (1). In humandis igitur cum Sancto Tobia cadaveribus & in exequiis a S. Matre Ecclesia in filiorum suorum, qui ex hoc sæculo transierunt, solamen institutis, peculiaris præsertim Parochorum effulgeat misericordia, atque humanitas. Ut itaque hæc præclara charitatis officia ad Defunctorum suffragium, & ad pietatem Vivorum, non autem ad turpem lucrum promoveantur, sequentia statuimus. 1.

Quoad electionem sepulturæ quamvis tantùm locuti fuerimus de Testamento, seu Instrumento, & Depositione Testium in Tit. XVI. de Funeribus n. 2. notum sit omnibus, Nostræ mentis non esse alias probationes a jure permissas excludere. 2

Quod verò spectat ad Sepulcra, ne malum emittant odorem, volumus ut unumquodque duplici operiatur lapide: qui si frangatur, aut Sepulchrum aliquid damni patiatur; si illius Patronus, ter a Parocho etiam extrajudicialiter monitus, illud non restauraverit, aut integrum novum lapidem non providerit; hujus Decreti vigore permittimus ejusdem Ecclesiæ Rectori, ut illud vel occludi curet, aut alteri sub eodem onere concedat. 3.

Nunquam sub prætextu non solutæ eleemosynæ funeralis denegare, aut differre sepulturam quisquam audeat; sub gravissimis pœnis arbitrio Nostro infligendis (2). 4.

Quando autem contigerit Parœciani cadaver in alia Ecclesia Parochiali tumulandum fore, Defuncti Parochum duplicem eleemosynam lucrari permittimus: quoad verò 5.

(1) Gregor. Nazianz. in Rat. de Paup.

(2) Barbos. de offic., & potest. Par. p. 3. cap. 26. n. 55.

Parochum Ecclesiæ tumulantis, locorum consuetudo servetur.

6. Parochus si alium Sacerdotem ad associandum Cadaver deleget, nolumus duplicem lucrari posse eleemosynam, pro se, aliamque pro delegato; sed eam dumtaxat mercedis portionem, quam solus delegans, si personaliter adesset, foret consecuturus, accipiat.

7. Si pertineat ad Parochos invitare Sacerdotes, & Clericos, qui funeri debent interesse; ordo ille servetur, qui sancitus fuit in Titulo de Celebratione Festorum. Si verò Defuncti heredes certum numerum Sacerdotum, & Clericorum ad libitum invitandi onus sibi assumant, eis fas sit vocare quos maluerint. Verum ut omnia ritè, rectèque, & sine ulla perturbatione peragantur: hortamur, ut mutuo consensu, & concordia in invitando cum Parochis procedant: præcipuè tamen vocentur ad funus, qui actualem, & sedulam servitutem præstant Ecclesiæ, in qua sepelitur cadaver: quamquam circa hoc, admodum laudabile putamus, cuncta arbitrio Parochi relinquere; quo dirigente, nullam confusionem in hísmet funeribus orituram, confidimus: at si secus fiat, & heredes quoad numerum, & qualitatem invitandorum sibi curam assumant; inde Parochi displicentiæ, & turbationis occasionem omnino amoveant, àtque omnia rata habeant.

8. Ne quis imposterùm anceps sit super intelligentia Edicti Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Philippi Nerii Altovitæ Prædecessoris Nostri super Funeribus promulgati, quoad cerea luminaria proprio ære a Parochis comparanda, & circa Cadaver, quando expositum sit, accendenda; aliaque providenda ab heredibus in associatione Cadaveris ad Ecclesiam, quando ab ipsis solvantur Parocho vel julii tres, vel quinque, vel decem, juxta diversos

ſos ætatis tumulandorum gradus : In primo caſu declaramus , cerea luminaria ad octavum numerum aſcendere debere , ſaltem ponderis unciarum duarum ; quorum altera medietas ardeat circa Cadaver , altera verò ſuper Altare majus : In ſecundo caſu dicimus luminaria eſſe debere quatuor ; quorum duo accendantur ante Crucem , reliqua verò circa Cadaver , eroganda ab heredibus ſaltem ponderis unciarum duarum : niſi ab aliqua pia Sodalitate hujuſmodi Chriſtianæ pietatis officium aſſociandi Cadaver cum intortitiis , vel aliis luminibus conſueverit exerceri ; eo enim caſu heredes in providendis luminibus nullatenus graventur .

Si Defuncti cadaver extra Eccleſiam Parochialem in alia ſepeliendum ſit ; pariter declaramus , ut Parochus Defuncti recipiat quartam funeralem : ſive heredes omnibus funeris expenſis ſuccumbere velint , ſive julios tres , vel quinque , vel decem perſolvant . 9.

Non ſine peculiari animi Noſtri amaritudine audivimus , nonnullos irrepſiſſe abuſus circa ritus in Exequiis celebrandis a jure ſtatutos : ideò volumus omnino , ut per ſingulos Parochos Noſtræ Diœceſis exactè ſerventur ea , quæ docentur a Rituali Romano ſub tit. de Exequiis. 10.

Aliquod ſpirituale auxilium , Sacerdotes omnes hujus Noſtræ Diœceſis , pauperrimæ Animæ Noſtræ præſtituros ſperamus , cum ex hac temporali vita ad æternitatem migraverimus ; prout eos nunc obſecramus in Domino . Quod verò præcipuè commendamus illud eſt , ut donec de alio Antiſtite proviſum fuerit , continuas ad Deum preces effundant ; ut dilectiſſimæ huic Noſtræ Eccleſiæ Paſtorem concedere dignetur , qui oves uberiùs ac Nos paſcere valeat . 11.

AD

AD TIT. I.

LIBRI SECUNDI

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

SUMMARIUM.

1. *Quæ vitæ, & morum probitate præcellere debeant Ecclesiastici.*
2. *Ludi vitiosi etiam privati interdicti: ludentes verò publicè pœna suspensionis subiiciuntur.*
3. *Ludus, qui dicitur* dell' Ombre, *recreationis gratia permittitur.*
4. *Clerici vestibus nigri tantummodo coloris uti debent; remotis etiam ab Albis, & Superpelliceis, cujuscunque alterius coloris vittis.*
5. *Otiosam cum Laicis consuetudinem, quibusdam præsertim in locis; & secreta cum fœminis colloquia vitent Ecclesiastici: graviter aliàs puniendi.*
6. *Ad Nundinas item, similesque seculares conventus negotiationis gratia ne accedant.*
7. *Ad Divina Officia aliò se transferentes, nec sclopum gestent, nec canes venaticos ducant.*
8. *Clerici quæ quotidie legere, & executioni mandare debeant.*

VITA


ITA Clericorum liber est Laicorum (1). In omni ergo incessu, statu, gestu, vultu Ordinem suum Sacerdos, & Clericus profiteatur; omni Clericalis vitæ actione religiosi animi mores exprimens, qui in Ecclesiastici ordinis hominibus elucere debet (2). Virtute idcirco tales existant; ut non minus eorum vitæ probitate, & morum elegantia, quàm doctrina, Evangelium propagetur (3): cum elegerit Deus Sacerdotes, ut per eos errores auferat ceterorum (4). 1.

Ludos, qui non eutrapeliæ, & virtutis gratia, sed vitio fiunt, etiam privatim in Domibus; omnino interdicimus sub pœnis arbitrio Nostro ferendis: confirmantes pœnam suspensionis a divinis (5), ludentibus in loco publico, ut in anteacta Synodo. 2.

Adjungimus ad honestiores ludos recreationis gratia etiam ludum alearum nuncupatum *dell' Ombre*. 3.

Talia debent esse vestimenta servorum Dei, ait Divus Bernardus, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam, & vanam gloriam (6). Propterea qui Ecclesiasticæ militiæ nomen, & operam dederunt, ut animæ integritatem præseferant, vestibus cujuscumque generis sint, non inverecundi & prohibiti, sed nigri coloris utantur (7): sicuti etiam interdicimus usum vittarum sericarum coloris rubei, purpurei, cerulei, & similium in Superpelliceis, & Albis in quavis sacra functione adhibendis, sub pœna ad arbitrium. 4.

Cum

(1) Conc. Turon. an. 1537.
(2) Conc. Mediol. 4.
(3) Gregor. Nazianz. Orat. 1.
(4) Aug. lib. 1. de Serm. Domini in Monte.
(5) Trident. Seff. 22. de Refor. cap. 1., & Seff. 24. de Refor. cap. 12.
(6) Bernard. Serm. 9. de modo bene vivend.
(7) Cap. Cleric. de vit., & honest. Cleric.

5. Cum tota vita Sacerdotis debeat esse cœlestis, & nullum cum terrenis affectibus debeat habere commercium (1): caveant omnes in sortem Domini vocati a familiaritate, & consuetudinibus Laicorum, otiosè commorando cum ipsis in plateis, officinis, & tabernis; ne sint contemptibiles omnibus Populis, quibus præbere debent exemplum bonorum operum (2). Ad evitandum verò omne incontinentiæ periculum, ac suspicionem mandamus, ut omnes Ecclesiastici, extranearum feminarum ædes, familiaritates, congressus, secreta colloquia quovis officii, aut pietatis prætextu nullatenus frequentent: ne fortè in impudicitiæ sordibus depræhensi, in habenda super talibus inquisitione per Curiam Nostram, indignationis Nostræ ad Sacrorum Canonum (3), & Concilii Tridentini præscriptum (4), experiantur severitatem.

6. Neminem Deo militantem, nec lucrum sectari, nec negotiis secularibus implicari decet, ait Apostolus Paulus (5). Ad evellendam omnis avaritiæ turpitudinem, atque indecentiam, prohibemus omnibus Clericis, & Sacerdotibus mercaturam exercere, & negociationis gratia ad nundinas accedere, sub pœnis a jure inflictis (6).

7. Parochos, aliosque Ecclesiasticos ad aliquam ruralem Ecclesiam se conferentes Divinis Officiis operam daturos, monemus ne sclopum gestent, neque secum Canes venaticos ducant; sed omni cum modestia, & Clericali gravitate incedant: tales enim ita redarguit Concilium Aquilejense: Quàm sit modestiâ Clericali indignum, qui paulo ante Breviarium manibus tractabat, eum pubblicè accipitrem

(1) D. Thom. de Villan. conc. 3. de S. August.
(2) Cap. Dolentes de cel. Miss.
(3) Cap. Si quis Episcop. dist. 81.
(4) Sess. 25. de Refor. cap. 14.
(5) 1. Tim. 3. 8., & 2. Tim. 2. 4.
(6) Cap. ex literis de vit., & honest. Cleric. Conc. Trid. Sess. 22. de Refor. cap. 1.

trem deferre ; quique cum Angelis laudes Deo persolvebat, eum inter canum latratus, ac multitudinem versari, & incompositis obstrepere vocibus, omnes satis intelligunt (1).

Illud unusquisque Clericus sæpe reputet, se non ad inertiam, seu ignaviam, sed ad spirituales, & Ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse (2). Ideo ut sibi, & aliis quibus præest, verbo, & exemplo proficere possit ad salutem, Institutionem vitæ Clericalis sæpius perlegendam, & quotidie executioni demandandam in Appendice apponimus sub N. X. 8.

AD TIT. II.

DE PAROCHIS ET EORUM RESIDENTIA.

SUMMARIUM.

1. *Parochi sicut dignitate, ita vigilantia, & exemplo præstare debent.*
2. *Ter in die signum Salutationis Angelicæ dandum, & publicandæ Populo frequenter Indulgentiæ a Benedicto XIII. concessæ.*
3. *Parochus, qui jam per bimestre fuit absens a residentia, id significet, si rursus discedendi petat facultatem.*
4. *Qui Festis, & Officiis peragendis personaliter non interest, lucrari nequit eleemosynam: & quomodo eadem ta-*

F xan-

(1) Concil. Aquil. 1. Prov. sub Francisco Barbaro Patriarcha, & Principe celebr. de vit. & hon. Cler.

(2) Concil. Mediol. 4. tit. eod.

xanda sit pro Missis, quæ præscripta die celebrari non potuerunt.

5. *Qua formula uti debeant Parochi in testamentariis dispositionibus recipiendis.*

6. *In iis verò, nisi urgente necessitate, nequaquam sese ingerant.*

1. QUI Animarum curam pro Domino suscipit, sicuti honore, & dignitate ceteros antecellit; ita virtutum exemplis, vigilantique sollicitudine in sui muneris, & curæ ovium sibi creditarum partibus obeundis prælucere debet. Unde meritò ait Apostolus Petrus: Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè; sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè (1). Quæ omnia ut adimpleantur, Parochi præter ea, de quibus ipsos cum reliquo Clero præmonuimus, hæc etiam præstare omni diligentia satagant.

2. Ad excitandum, confovendumque erga Deiparam semper Virginem Mariam cultum, ac pietatem; nec non ad magis magisque firmandum pium, laudabilemque morem Nostræ Diœcesis Parœciarum, invitandi quotidie Fideles ad Angelicam illius Salutationem, tam summo manè, quàm meridie, & vespere ad pulsum Campanæ: omnibus, & singulis Parochis injungimus, atque mandamus, ut suo respectivè Populo, Indulgentias a Summo Pontifice felic. recor. Benedicto XIII. concessas ad memoriam persæpe reducant (2).

3. Singulis pariter Animarum Pastoribus palam facimus, licentiam a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali petitam, & obtentam discedendi a residentia propriæ Ecclesiæ,

(1) 1. Pet. 5. 2.

(2) Breve Ben. XIII. 16. Sept. 1724.

ſiæ, non ſuffragari ei, qui per bimeſtre fuit abſens; ſi hujuſmodi abſentiam jam ſecutam non expreſſerit, in petendo a Nobis diſcedendi facultatem.

Ut piæ Benefactorum, & Teſtatorum menti ſatisfiat, volumus & omnino præcipimus; ne ullus Sacerdos, vel Clericus in Feſtis, ſeu Officiis peragendis, poſſit eleemoſynam lucrari, niſi perſonaliter interfuerit in illa Eccleſia, ubi ſupradictum Feſtum, ſeu Officium celebrabitur: ſicuti nullus Parochus, ſeu Sacerdos valeat ſtipendium recipere pro Sacrificio Miſſæ celebrando in alia Eccleſia: quod quidem ipſorum Benefactorum, ſeu Teſtatorum voluntati penitus adverſaretur. Mandamus itidem, ut ii, ad quos ſpectat, omnem adhibeant operam, ut die præſcripta a Benefactoribus, ſeu Teſtatoribus Miſſæ celebrentur (prout alibi etiam decrevimus) earumque numerus omnino impleatur. Quod ſi aliqua de cauſa tot Sacerdotes convenire nequeant, quot numerus Miſſarum celebrandarum requirat; volumus ut ex ea, quæ ſupereſt pecunia (ſi exteri Sacerdotes non ſint vocandi) tot Miſſæ celebrentur, quot manuali conſuetæ eleemoſynæ reſpondeant. Si verò Parochus, aut Cappellanus, ſeu alius Sacerdos illius Eccleſiæ ſervituti addictus, ob aliquod impedimentum hoc onus aſſumere nequeat, & exteri Sacerdotes ſint invitandi: tunc habita ratione itineris, & incommodi, ſupra manualem eleemoſynam aliquid addatur; & tot Miſſæ celebrentur, quot eleemoſynæ hac ratione ex ea pecunia taxari poſſint. 4.

Evenit aliquorum Parochorum inſcitiâ in recipiendis diſpoſitionibus, ſeu voluntatibus ægrotorum, vel bona valetudine utentium, ut plures quamſæpe lites oriantur: quomodo ergo ſe gerere debeant in hoc munere Teſtamentorum, formulam inferiùs dabimus ſub N. XI. 5.

6. Nihilominus caveant Parochi ab hujusmodi Testantium dispositionibus; nisi in peculiari casu necessitatis, quando commoda Notarii desit occasio: quibus etiam expressè inhibemus, ne alliciant Testatores ad pia legata in sui, vel Ecclesiæ, vel Consanguineorum utilitatem; & nisi ab ipsismet Testatoribus instanter requisiti fuerint, in iisdem legatis nullo modo se ingerere præsumant.

AD TIT. III.

DE CONVENTIBUS CLERICORUM AD CASUUM CONSCIENTIÆ DISCUSSIONEM.

SUMMARIUM.

1. *Solidæ doctrinæ, & Sacerdotali muneri consentaneæ danda opera.*
2. *Instructio de habendis Congregationibus bis in anno legenda.*
3. *Singulæ Congregationes singulis diebus habeantur.*
4. *Responsa ad morales quæstiones in scriptis exhibenda; nec tam sollicitè, sed maturè res pertractandæ.*
5. *Pœna tam pro iis qui Congregationibus interesse; tam pro iis, qui libros earumdem transmittere negligunt statuto tempore, decernitur.*
6. *Generalis Congregatio coram Episcopo quotannis habenda; & qui in ea interesse debeant.*
7. *Ut hæ serventur sanctiones, præcipua Præsidi, & a Secretis Congregationum cura commendatur: puniendi ad arbitrium, si negligentes fuerint.*

QUI

QUI Paſtores rationabilium Ovium nuncupamini (Divi Auguſtini zelo vos alloquor) feſtinate ſapere non ſophiſmata Paganorum, non carmina Poetarum, non argutias Philoſophorum; de quibus tam auditores, quàm doctores reddituri aliquando ſunt rationem: ſed ſecundum illam ſapientiam ſapientiarum, ſeu Theologiam: hæc eſt enim ſcientia ſcientiarum, Angelorum ferculum, Apoſtolorum gloria, Epiſcoporum vocatio, Religioſorum refectio, Sacerdotum cellarium (1). 1.

Bis in anno, videlicet in prima Congregatione menſis Januarii, & Julii legatur Inſtructio quoad methodum, & normam in qualibet Congregatione ſervandam, quæ apponetur in Appendic. ſub N. XII. 2.

Congregationes habendæ, nequaquam duplicentur eadem die, ſed ſeparatim, & diverſa die fiant. 3.

Omnes Parochos, Sacerdotes, & Clericos, qui in ſcriptis reſponſa Caſuum elucidandorum in Congregatione non exhibebunt, tamquam non intereſſentes reputandos, & iiſdem pœnis contra abſentes multandos eſſe decernimus. In his autem Conſcientiæ Caſibus diſcutiendis, non tam ſollicitè ſe expedire contendant; ſed congruum & debitum temporis ſpatium conſumant. 4.

Quicquid decretum fuit in anteacta Synodo de Caſuum Conſcientiæ diſcuſſione Lib. 2. tit. 3. §. 2. circa Libros reſponſionum quolibet anno ad Noſtram Curiam tranſmittendos per totum menſem Maii, exactiſſimè ſervetur: pœnam verò Scutorum trium cuilibet a Secretis tranſgreſſori impoſitam, ab iis etiam, qui in qualibet Plebania præfatæ Congregationi intereſſe tenentur, ſi negligentes fue- 5.

(1) D. Aug. ad Frat. in Erem. ep. 37.

fuerint, simul & in solidum solvendam esse statuimus.

6. Generalis una tantummodo Congregatio coram Nobis quotannis habeatur: cui etiam eos interesse exoptamus, qui ad examen, & censuram responsionum eorumdem Casuum praelecti fuerint; ad effectum ut Nobis innotescant qui suo muneri defuerint; & de opportunis remediis provideamus; simulque debitas poenas delinquentibus imponamus.

7. Ut hae praesentes sanctiones suum debitum finem sortiantur, & Praeses, & a Secretis Congregationis, quanta majori sollicitudine fieri poterit, sedulam dent operam. Quod si huic tam utili exercitio debitam vigilantiam impendere neglexerint; sciant se unà cum transgressoribus ad Nostrum arbitrium poenas esse daturos.

AD TIT. IV.

DE ECCLESIIS, ET EARUM IMMUNITATE, ET VENERATIONE.

SUMMARIUM.

1. *Templorum custodia, & immunitas servanda.*
2. *Nec novae Inscriptiones, aut Stemmata ponantur in Ecclesiis; nec veteres removeantur absque Ordinarii licentia: & qui aliàs fecerint, puniendi.*
3. *Nulli Capitulo licet Protectorem eligere, & ejus Insignia in Ecclesiis efferre.*

4. Qui

4. *Qui sint a Cœmeteriis, & Ecclesiæ viciniis removendi, dum pium aliquod in ea munus exercetur.*

5. *Quæcumque a legibus sunt vetita, in Ecclesiis, quocumque titulo, nullatenus recipienda; sub gravibus pœnis ad arbitrium.*

FRATERNITATEM vestram charissimi commonemus, 1.
ut convenientes ad Sacratissimum Templum Dei, id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis: si enim veraciter creditis Templum Dei esse illud, ad quod convenitis; id procul dubio inibi operari debetis, quod ei placeat, cujus Templum est, ad quod convenitis (1). Ut verò Domus Dei, ea qua decet veneratione colatur, & immunitas Ecclesiæ in suo robore perseveret, hæc insuper decernimus.

Cum in altera Nostra Synodo de Ecclesiis, & earum 2.
immunitate Tit. 4. §. 1. sancitum fuerit, ne aliqua persona cujuslibet gradus, aut conditionis in Ecclesiis novas Inscriptiones, vel Stemmata gentilitia absque Ordinarii auctoritate apponere præsumat; atque ibi nedum apponens, verum etiam Ecclesiæ illius Præses pœnis ad arbitrium subjaceat: in præsenti mandamus, ne quis hujusmodi Inscriptiones, & Stemmata antiquitus apposita, e Sacris Templis removere audeat; & tam removens, quàm Ecclesiæ Præses removere permittens, easdem pœnas ad arbitrium luere cogantur (2).

Cuicunque Capitulo tam Ecclesiæ Cathedralis, quàm 3.
Collegiatarum notum facimus, omnino sibi vetitum, posse eligere aliquem in Protectorem, & præ foribus Ecclesiæ, sive extra ipsam gentilitium ipsius Protectoris Stemma

(1) Conc. quoddam apud Mansi Tr. 10. disc. 4. n. 9.

(2) Monac. de arbitr. Cas. 281. per tot.

ma exponere; sub pœnis contentis in literis a Sacra Tridentina Congregatione transmissis; quas felic. record. Benedictus XIII. approbavit, & singulis Catholicæ Reipublicæ Ordinariis expediri mandavit, sub die 14. Februarii 1728.

4. Dum in Ecclesiis Sacra Concio habetur, Christianæ Fidei rudimenta edocentur, Missæ Sacrificium celebratur, Divina officia peraguntur, vel Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè Fidelium Venerationi manet expositum; monemus, ne prope Ecclesias, seu earum Cœmeteria, Circulatores, Histriones, Comici, aut quocunque alio nomine nuncupati, publicè nugas, choreas, cantus, sonos, comedias, & similia exerceant, merces vendant, aut quidquam aliud agant, quo Populus a religiosis, piisque Ecclesiarum functionibus retrahatur (1).

5. Ne Regius Princeps vectigalibus sibi debitis fraudetur; quascunque merces, resque venales ipsiusmet Principis legibus vetitas atque interdictas, in Ecclesiis, aliisque locis immunibus recondi, vel commodum, & patientiam pro hujusmodi effectu Laicis præstari, omnibus, & singulis Nostræ Diœcesis Ecclesiasticis omnino prohibemus; sub pœna pecuniaria pro arbitrio Nostro infligenda.

AD

(1) Irreligiosa de consecr. dist. 3.

AD TIT. V.

DE PRÆCEDENTIIS.

SUMMARIUM.

1. *Statuta circa ordinem, & locum cuique consonum, omnino servanda.*
2. *Decretum S. Rit. Cong. Ann.* 1703. 11. *Septembris, ad tollenda diffidia executioni mandandum.*

1. PRÆCEDENTIAS Ecclesiasticas nec ambiri, nec cum fastu & superbia, sed cum religiosa moderatione tractari debere, ad normam Evangelicæ humilitatis, quam Christus Dominus & verbis, & exemplis nos docuit, graviter admonent, & frequenter Ecclesiæ Patres, inter quos Petrus Blesensis: Qui in alto sedent, non alta sapiant, per omnia sentientes humiliter; non ambulent in magnis, neque in mirabilibus super se (1). Quamobrem unusquisque ordinem suum custodire satagat; neque datos sibi limites egredi præsumat, aliquam intentando novitatem in aliorum præjudicium; & servando, quæ aliàs a Nobis præscripta in hac eadem materia fuerunt.

2. Ad tollenda jurgia, quæ quotidie inter Parochos, & Societatum Gubernatores, & earumdem Cappellanos insurgere Nobis innotuit (ubi aliàs per Constitutiones Nostras non fuerit expressum) Decretum generale Sacræ Rituum Congregationis diei 10. Decembris 1703. omnino servetur, prout in Calce hujus Synodi exhibemus sub N. XIII.

(1) Petr. Blesen. de Inst. Episc. cap. 3.

AD TIT. VI.

DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.

SUMMARIUM.

1. *Hereditas Ecclesiæ custodienda.*
2. *Pœna excommunicationis in extrahentes a sua custodia, & quocumque modo alienantes Reliquias Sanctorum absque opportuna facultate.*
3. *Pro iisdem servandis alia prohibentur.*
4. *Bona Ecclesiæ cùm mobilia, tum immobilia adeo rigorosè sunt custodienda, ut nullus circa eadem Contractus absque prævia licentia sit licitus.*
5. *Qui quocumque Contractu, excepta simplici triennali locatione, Bona Ecclesiæ possidenda ante Beneplaciti Apostolici impetrationem tradunt, Censuris subjacent.*
6. *Quam supellectilem Ecclesiarum Rectores relinquere teneantur, etiam si illam non receperint.*
7. *Qui defuncto Parocho res quascumque ad ejus Ecclesiam pertinentes surripuerit, pœnis est a jure statutis plectendus.*
8. *Supellex Sacra quæcumque, nisi Parochus dum viveret aliter legitimè instituerit, eo defuncto ad successorem pertinet.*
9. *Bonorum Ecclesiasticorum Inventaria qua ratione a singulis Beneficiorum Rectoribus, & Administratoribus sint conficienda.*
10. *Juramentum de Bonis Ecclesiæ servandis præstandum.*

11. *Ar-*

11. *Archivium erigendum, ejusque erectionis fides ad Curiam transmittenda: & quæ in eo sint locanda; & quomodo custodienda.*
12. *Instrumentorum ad emphyteusim spectantium, statuto tempore renovatio mandatur.*
13. *Ad quos pertineant fructus sive naturales, sive industriales, qui post obitum Parochi adbuc supersunt; sive sint ex Bonis aut ad affictum, aut ad emphyteusim concessis.*
14. *Quid si fructus sint civiles.*
15. *Pro rata fructuum dividenda est etiam onerum satisfactio.*
16. *Vasa relinquenda in Domo Canonicali, respondere deberent fructuum quantitati, qui ex Bonis Ecclesiæ colliguntur: Cujus verò mensura esse debeant, si nulli sint fructus colligendi.*

NE Ecclesiæ hereditas vertatur ad extraneos, & Sponsa Christi suis necessariis destituatur ornamentis & auxiliis; omnibus, qui ad ejus custodiam a Domino sunt vocati, sequentes ordinationes executioni demandandas proponimus. 1.

Cum inter cetera Bona Ecclesiæ Catholicæ censeantur esse pretiosiora Sanctorum Corpora, atque Reliquiæ, quæ sunt sicut odor balsami ante Dominum; siquis ex Armariis, Thecis, Vasculis, Capsulis absque debita facultate, vel in totum, vel in partem aliquam extrahere, seu sibi attribuere, sive aliis donare præsumpserit excommunicationi se subjacere intelligat (1). 2.

Mandamus ulteriùs, ne Ordinario inconsulto, dividantur aut minuantur, aut sigilli fractione aperiantur; neque osculandæ, è Capsulis ubi clauduntur, sacræ Reliquiæ extrahantur. 3.

(1) Sac. Cong. Indulgen. in Januen. Sept. 1714.

4. Bona Ecclesiastica immobilia, vel mobilia pretiosa, nemo vendere, alienare, hypothecare, ultra triennium locare, in emphyteusim dare, aut aliquem Contractum de jure prohibitum facere, sine Apostolicæ Sedis licentia, seu respectivè Ordinarii, vigore Capituli *Terrulas*, & absque prævia Edictorum affixione præsumat; sub pœnis in Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis contentis. Mobilia verò non pretiosa, & quæ servando, servari non possunt, aliqua authoritate Ordinaria alienari de jure permissa, nisi impetrata a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali in scriptis facultate, quomodolibet extrahere, aut permutare audeat, sub gravibus pœnis arbitrio Nostro irrogandis.

5. Cum autem de hujusmodi Bonis alienari prohibitis fieri aliquem Contractum contigerit, ac mutuo Partium consensu perfici, sive per Apocam, sive per publicum Instrumentum, in quo Beneplacitum Apostolicum impetrandum reservetur; caveant omnes ne ante reservati Beneplaciti expeditionem, realis Bonorum traditio, vel translatio possessionis, etiam ex clausula Constituti sequatur; aliàs sciant pœnis Censurarum semet subjectos; dummodo hujusmodi Bona, ante impetrationem Beneplaciti Apostolici, jure & titulo simplicis triennalis locationis haud concederentur.

6. Omnes Ecclesiarum Rectores Supellectilem & sacram, & prophanam, quæ in prima Nostra Synodo recensetur, in iisdem Ecclesiis relinquere teneantur; etiamsi illam non receperint: salvo tamen arbitrio Nostro, vel Nostri Vicarii Generalis.

7. Parochorum heredes, vel quicunque alii fuerint, qui post illorum obitum Supellectilem tam sacram, quàm prophanam, Bona mobilia quæcumque, scripturas, vel

quas-

quaslibet alias res surripuerint, pœnis a Sacris Canonibus, vel Apostolicis Constitutionibus inflictis graventur.

Decernimus pariter, quod omnis sacra Supellex cujuscunque generis sit, tam Ecclesiæ, quàm a Parocho facta, quæ tempore mortis ipsius Parochi, vel Domi, vel in Ecclesia, vel alibi apud alios reperiatur, spectet ad successorem in Beneficio; nisi Parochus, dum viveret, facta legitima probatione etiam juramento firmata, non ex Beneficii redditibus, sed proprio ære sibi comparasse docuerit; & a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali Decretum super his obtinuerit. 8.

Quoniam mutatione finium, seu temporum iniuriâ, seu Rectorum, Locorumque Piorum Administratorum incuriâ, qui debito tempore, ad futuram memoriam, Inventaria non confecerint, sæpe Ecclesiarum, Beneficiorum, Confraternitatum, Oratoriorum, aliorumque Piorum Locorum Bona deperduntur: præcipimus, ut a singulis Beneficiorum Rectoribus, aliisque Administratoribus servetur inposterum methodus, & formula in Additionibus apponenda N. XIV. sub pœnis in anteriori Nostra Synodo hoc Tit. §. 1. n. 4. statutis. 9.

Quilibet Beneficiorum Rector, quandocumque Beneficium consequutus fuerit, sive Curatum, sive simplex, Bona Ecclesiæ inviolata servandi & tuendi, juramentum præstabit juxta Constitutiones Apostolicas. 10.

Quia verò occasione secundæ Nostræ Pastoralis Visitationis propriis oculis vidimus, Constitutionem præcedentis Synodi sub hoc Tit. §. 3., quoad erectionem Archivii, ubicunque non extaret, effectum suum aliquibus in locis sortitam non fuisse: ideo singulis Capitulis, Monasteriis, Ecclesiis Parochialibus, Oratoriis, Confraternitatibus, aliisque Piis Locis Episcopali Nostræ Vigilan- 11.

gilan-

gilantiæ ſubjectis, Archivium erigi intra tres menſes a die publicationis hujuſce Synodi, ad formam Conſtitutionis Benedicti XIII., quæ incipit *Maxima Vigilantia* ſub die 19. Junii 1727. ſtrictè præcipimus; talemque erectionem, & accuratam ſcripturarum ordinationem ſubinde executioni demandatam fuiſſe, Noſtræ Curiæ intra idem tempus notum fieri volumus; ſub pœna Scutorum decem. Quibus in Archiviis ſive per certam Manſionem, ſive per Armarium conſtructis, collocentur Inſtrumenta, computationum Libri, Teſtamenta, Legata Pia, cum ſuis oneribus, eorumque ſatisfactionibus; Indulgentiarum, & Privilegiorum Diplomata, Reliquiarum, ubi adſunt, Catalogi & authentica documenta; Viſitationum Decreta; Libri etiam, ſi eſt Eccleſia Parochialis, Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, Mortuorum, ac Status Animarum, & quæcunque aliæ Scripturæ ad Eccleſiam illam, Locumque Pium, necnon ad eorum Bona, redditus, & jura ſpectantes; & omnium denique præfatorum dilucidus Index conficiatur. Archiviorum autem Cuſtodes, firmâ ſerâ, diligentique cura eadem claudant, atque ſervent; & nemini claves committant, nec ulla documenta inde proferri ſinant, niſi ipſis præſentibus.

12. Singulis Capitulis quarumcunque Eccleſiarum, ſeu Beneficiorum, tam Curatorum, quam ſimplicium Rectoribus, Locorumque Piorum Adminiſtratoribus præcipimus; ut renovationes Inſtrumentorum ad emphyteuſim ſpectantium, cum eorum conductoribus, aut ipſorum ſucceſſoribus, infra ſex menſes poſt publicationem hujuſce Synodi, facere teneantur; dummodo viginti novem annorum ſpatium a die Contractus, ſive alterius præcedentis renovationis fuerit expletum: ſin minùs, hoc teneantur facere debito tempore, atque ita in futurum continuare: quan-

do-

doquidem ex negligentia circa prædicta, sæpe sæpius Ecclesiastico Patrimonio irreparabilia damna proveniunt.

Fructus sive naturales, sive industriales, qui solùm in certa anni parte percipi solent; ut sunt frumentum, oleum, mustum, legumina, & similia, in quibus tempus perceptionis, & recollectionis attenditur; si tempore mortis Beneficiati a solo fuerint separati, licet non reconditi, ad illius heredes spectare: pendentes verò ad successorem in Beneficio pertinere statuimus: quæ locum habere volumus, etiam respectu fructuum ex aliquo terrarum affictu, sive ad longum, vel ad modicum tempus confecto, aut emphyteusis Contractu derivantium; dummodo canon respondeat fructibus, neque in simplicem Dominii recognitionem persolvatur: hos enim fructus, quorum causa affictus, aut canon solvitur, si pariter tempore mortis Beneficiati fuerint a solo separati, illius heredes consequantur; sin minùs, successor in Beneficio. Canon verò, qui in recognitionem Dominii solvitur, pro rata temporis non est dividendus: quod si ante obitum prædecessoris ipsa dies solutionis venerit, heredibus debeatur; aliàs successori. 13.

Fructus autem civiles, ex re naturali infructifera quasi dietim percipiuntur, ut sunt fructus censuum, societatum, officiorum, gabellarum, vectigalium, annuæ & diuturnæ præstationes pecuniarum, locorum Montium, & pascuorum, & similium rerum, quæ ex earum natura non sunt aptæ producere fructus; quorum nomine contineri volumus pensiones quoque Domorum ad modicum, vel ad longum tempus locatarum, aut sub titulo emphyteusis concessarum; modo quo sequitur dividantur. Si Beneficiatus decesserit maturato jam tempore solutionis, fructus isti ad illius heredes in totum devolvantur, 14.

tur: si verò tempore mortis Beneficiati, dies eorum solutionis adhuc non advenerit, inter heredes demortui Rectoris, & successorem in Beneficio, pro rata temporis distribuantur.

15. Quoniam justitiæ, & æquitati admodum consentaneum existimamus, quod qui percipit fructus, onera etiam Beneficii supportet; hæc ad eamdem rationem divisionis fructuum, pro rata dividi mandamus inter heredes Parochi defuncti, & Parochum successorem: ideo si omnes fructus anni vacantis perceperit vel Prædecessor, vel heredes; ad eos quoque omnia onera ejusdem anni usque ad novam messem pertinere volumus.

16. Quo verò ad supellectilem, ab heredibus defuncti in Domo Canonicali relinquendam; quia diximus in præcedenti Nostra Synodo lib. 2. tit. 6. §. 5 n. 8. computanda esse omnia vasa cujuscumque generis pro Vino, & Oleo recondendo, quæ reperirentur in Bonis Ecclesiæ, vel Beneficii: declaramus modo, circa prædicta Vasa attendenda esse majorem, vel minorem fructuum quantitatem, quæ ex Bonis Ecclesiæ seu Beneficii colligitur, vel ex Bonis emphyteuticis exigitur: quod si nec ex Bonis Ecclesiæ, vel Beneficii colligatur, nec ex Bonis emphyteusis exigatur Vinum, & Oleum; nihilominus relinqui volumus dolia pro vigintiquatuor cadis Vini, & unum Urceum pro duobus cadis Olei; dummodo non constaret, præfata Vasa ab Antecessoribus in numero majori relicta fuisse.

AD

Ad Tit. VII.

DE CONFRATERNITATIBUS LAICORUM.

SUMMARIUM.

1. *Confraternitatum Laicalium cura aquè habenda.*
2. *Quæ in Ecclesia sua obeunt exercitia, functionibus Parochialibus esse non debent impedimento.*
3. *Quoties conveniant, unum saltem ex Capitulis publicè legendum.*
4. *Legendus pariter bis in anno Libellus continens Indulgentias eis concessas: & bis item maternâ linguâ exponenda statuta Synodalia sub hoc Titulo contenta.*
5. *Momenti alicujus deliberationes generalis convocatio debet præcedere.*
6. *Electiones, deliberationes, & alia hujusmodi actiones, absente Correctore sunt nullæ.*
7. *Nemo ex Albo delendus absque prævia debita facultate.*
8. *Sodalibus legitimè congregatis, & per vota secreta determinationes fiant.*
9. *Filiifamilias, ut Sodalitii subeant Officia, quid præstare debeant.*
10. *Officiales quomodo Inventarium respectivè conficere, & successoribus tradere debeant.*
11. *Nova Officia nequeant obtinere, nisi priùs reddita ratione, æreque alieno soluto, si eo graventur.*
12. *Rei gestæ rationem Camerarii quotannis; & quomodo reddere debent.*

13. *Successor in Officio, Camerarium debitorem infra mensem ad solvendum compellat.*

14. *In sumptibus extraordinariis Camerarius libras septem, Officiales libras decem non excedant absque Confratrum legitimo consensu, & approbatione Ordinarii.*

1. CUM Laicorum Confraternitates Divinæ Majestati, vel Deiparæ Virgini, Cœlitibusque dicatæ, ad Divinum cultum augendum, & ad Christianam charitatem, pietatemque confovendam sint institutæ; pro illarum optimo, & pio regimine æquè Nobis vigilandum est.

2. Sodalitates, quæ in Ecclesiis Parochialibus, ubi erectæ sunt, consueta obeunt exercitia, diligenter attendant; ne proinde Christianæ Catechesi, ceterisque Parochorum functionibus sint impedimento.

3. Quoties contigerit Confratres simul convenire, & Congregationi interesse; mandamus, ut unum saltem ex Capitulis, ad eorum Institutum spectantibus, publicè legatur; ut Constitutionum observantia vigeat semper ac floreat.

4. Singulis annis, duabus saltem vicibus, Libellus, aut Index continens Indulgentias cuicunque Confraternitati concessas promulgetur; ut ex earum recordatione ad subeunda pietatis opera ibi injuncta, Sodalium corda magis magisque in dies excitentur. Jubemus pariter bis in anno, in duabus videlicet Congregationibus Januarii, & Julii, maternâ linguâ perlegi a Correctore quicquid sancitum est in hoc Titulo, tam præsentis, quàm anteactæ Synodi.

5. Si verò aliquid relevans ad Societatem, vel ad ipsos Confratres pertinens agendum fuerit, nullæ deliberationes fiant;

fiant; nisi priùs generalis eorumdem Confratrum convocatio præcesserit; ut quicquid deliberatum fuerit, firmum ratumque habeatur.

Interdicimus insuper quamcunque deliberationem, & 6.
singulares electiones, seu extractiones novorum Officialium, absente Correctore; cujus præsentiam in hujusmodi negotiis omnino requirimus, sub pœna nullitatis; dummodo aliter Nobis, vel Vicario Nostro Generali expedire non videatur.

Nemo ex Sodalibus, sine prævia Nostra, vel Vicarii 7.
Generalis licentia, ex Albo Confraternitatis deleatur.

Determinationes quæcunque a Confratribus faciendæ, 8.
tantummodo permittuntur cum legitimè fuerint congregati, & per Vota secreta, non autem vivæ vocis consensu.

Filiisfamilias vetamus susceptionem onerum, seu Offi- 9.
ciorum Sodalitatis, nisi priùs accesserit Patris consensus; qui se principaliter obliget, vel idoneum det fidejussorem.

Singuli Sodalitatis Officiales omnium rerum eorum cu- 10.
stodiæ traditarum, Inventarium conficere teneantur; illudque, postquam suo muneri functi fuerint, successori in Officio tradere; qui se omnia recepisse, quæ descripta fuerint in Inventario, per propriam, vel alterius a se requisiti subscriptionem affirmet, atque testetur.

Camerarios, & alios Officiales, qui vel suæ administra- 11.
tionis rationem non reddiderint, vel debitores extiterint, cujuscunque muneris, seu Officii in Sodalitate participes esse prohibemus; nisi reddita priùs ratione, & soluto debito.

Ipsimet Camerarii sciant, se gestæ administrationis ra- 12.
tionem quotannis Curiæ Nostræ teneri reddere una cum

 Apo-

Apochis, & documentis ad id opportunis, & necessariis: quam quidem rationem priùs recognosci volumus a Correctore, & Officialibus: aliàs partitæ expensarum, in eorum præjudicium, pro non scriptis habeantur.

13. Quilibet Administrator, qui debitor extiterit, & debitum spatio unius mensis non solverit, volumus, ut a Camerario successore ad solvendum quantocius juridicè compelli possit; neque privilegio alicujus dilationis sive Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis licentia frui valeat.

14. Camerario insuper inhibemus posse erogare Societatis redditus, tam certos, quàm incertos in alios usus, præterquam destinatos, & consuetos. In sumptibus extraordinariis faciendis, summam librarum septem non excedat; Officiales verò librarum decem: quando autem advenerit occasio majorum sumptuum ultra præfatas summas, tunc a Confratribus legitimè adunatis, per Vota secreta hac de re fiat deliberatio, approbante Ordinario; sub pœna non bonificationis.

AD TIT. VIII.

DE MONIALIBUS.

SUMMARIUM.

1. *Sacrarum Virginum honori par custodia.*
2. *Quales, etiam animi relaxandi gratia, personatæ incedere debeant.*
3. *Ad paupertatis Votum servandum, de nulla re quovis modo absque debita facultate disponant: neve alicui Congregationi, seu Centuriæ aggregentur.*

4. *Ægro-*

4. *Ægrotantes in Valetudinario curari debent.*
5. *Quibus pœnis larvati accedentes ad Monasteria subjaceant.*
6. *Administratores Monasteriorum quoruncunque, quotannis Ordinario rationem reddere tenentur.*

AD Sacras Feminas, quarum Virginitas est corona, quæ nunquam marcescit, Templum Dei, Sacrarium Spiritus Sancti, gemma pretiosissima, gaudium Prophetarum, gloria Apostolorum, Vita Angelorum, tota animi Nostri cura convertitur (1): oportet enim summopere, ut paratæ, & virtutum odore fragrantes possint exire obviam Sponso, & ad regales Agni immaculati nuptias inoffenso pede transire: quod ut faciliùs assequantur, ultra præscriptas in alia Nostra Synodo, præsentes Ordinationes servandas superaddimus. 1.

Inter ceteras animi virtutes, quibus Moniales decet esse ornatas, Virginitatis consocia est modestia: unde si forte personatæ recreationis causa, aptis temporibus per Claustra incedant, quicquid mundanum, quicquid seculare sapit quoad fieri potest effugiant. 2.

Præ oculis habentes Pontificiam Constitutionem in Can. *Non dicatis* 12. q. 1. -- ibi -- Non dicatis vos aliquid habere proprium, sed sint vobis omnia communia -- commendamus enixè Religiosam paupertatem Sacris Virginibus colendam, atque servandam; ideo prohibemus ne absque Nostra, vel Superiorissæ licentia quicquam donare, commodare, vel de aliqua re quocunque modo disponere possit. Nobis item inconsultis, nolumus aliquam ipsarum Congregationibus, aut Centuriis aggregari. 3.

Ad

(1) Athan. lib. de Virgin.

4. Ad evitandas perturbationes, & incommoda, quæ possint tædio afficere Moniales ægrotantes, eisque inservientes; volumus, ut infirmæ in loco ad id specialiter deputato, nempe Valetudinario collocentur, & curentur.

5. Si quis larvatus, sive Vir, sive Femina ad Portas, vel ad Crates Monialium accesserit, quamvis alloquendi Moniales obtinuerit facultatem, ultra pœnas luendas, perinde ac si licentiam non habuerit, sciat se gladio excommunicationis latæ sententiæ obnoxium.

6. Quoad administrationem Bonorum, & reddituum cujuscunque Monasterii, præcipimus; ut pro redditione rationis, etiam si agatur de Monasteriis gubernio Regularium subjectis, teneatur quilibet Administrator gestæ administrationis computa Nobis quotannis exhibere.

AD TIT. IX.

DE SEMINARIO.

SUMMARIUM.

1. *Ecclesiasticam Juventutem, ne dum verbis, & optimis præceptis, sed virtutum exemplo, & facili laborum tolerantia Præceptores formare debent.*
2. *Clerici Alumni ut in literis proficiant, pietatem, & cultum præcipuè erga Beatam Virginem foveant.*
3. *Quas Literas testimoniales exhibere debeant Gubernatori post ferias autumnales, ut rursus recipiantur in Seminarium.*

SICUT Agricola vehementer exultat ubi generosos fetus ex arbore ipſa legit, quam ſuis quondam manibus conſeverat, ac diu multa cura produxerat (1), ita Præceptores magnopere delectabuntur ſi bonos mores intueantur eorum, quos a primæva ætate rectè, feliciterque formaverunt. Quapropter eos, qui gubernio vel magiſterio præſunt Seminario Noſtro, hortamur vehementer, & obſecramus in Domino, ut Juventuti ſibi traditæ verbo, & exemplo, ac virtutum ſplendore præluceant: nec graventur in ejus cuſtodia, diſciplina, & vigilantia portare pondus diei, & æſtus (2); tunc enim munus ſibi demandatum quàm diligentiſſimè adimplentes, replebitur os eorum gaudio, & lingua ipſorum exultatione (3). 1.

Clericos autem Alumnos commonemus, ut ſedulam ſtudiis navent operam, & Chriſtianam pietatem in quotidianis exercitationibus foveant, atque augeant: propterea Deiparæ Virginis cultui ſint addicti; eam totis viribus deprecantes, ut bonitatem, diſciplinam, & ſcientiam illos edoceat. 2.

Volumus autem, ut elapſo tempore Feriarum autumnalium, cum ad Noſtrum Seminarium rurſus acceſſerint, Literas teſtimoniales proprii reſpectivè Parochi exhibeant, ſe Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta frequentaſſe, & Eccleſiæ ſervitutem præbuiſſe: aliàs Gubernatori interdicimus eoſdem Clericos in Seminarium recipere. 3.

AD

(1) Polit. lib. 6. cp. 5.
(2) Matth. 20. 12.
(3) Pſ. 125. 2.

AD TIT. X.

DE CONSTITUTIONIBUS.

SUMMARIUM.

1. *Sanctionum Synodalium violatoribus timenda est ira Dei.*
2. *Declaratio quo ad pœnas tum pecuniarias, tum afflictivas.*
3. *Acta Synodi præcedentis confirmantur; & quæ in præsenti sunt statuta, post bimestre a die publicationis, vim legis sunt habitura.*
4. *Ingenua felicitatis auspicia.*

1. QUI perspexerit in legem, ait Divus Jacobus, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit (1). Has ergo Constitutiones, quas ad majorem Dei gloriam & cultum, atque universi nostri Cleri disciplinam, Populique Nobis commissi mores componendas, Divina Misericordia opitulante condidimus, modò promulgamus: Unusquisque verò in custodiendis illis omnem cogitationem, sollicitudinem, curam, studiumque pro viribus adhibeat; ne Deum ac Nos ultores transgrediendo experiatur.

2. Quascumque multas, seu pœnas in hac præsenti Synodo arbitrio Nostro reservatas, pro majori Nostræ mentis explicatione, intelligi volumus, tam de pœnis pecuniariis, quam corporis afflictivis: pecuniarias autem decernimus, Locis Piis, Pauperibus, denunciantibus, aliisque per-

(1) Jaco. 1. 25.

personis juxta distributionem in Decreto Nostro sub die 12. Septembris 1721. enunciatam ad arbitrium Nostrum applicandas. Ne impunitatis fiducia quemquam allicere possit, ubicumque pro Decretorum hujus Synodi observatione, & executione nulla fuit imposita pœna, illam arbitrio Nostro relinquimus, delicti, & personarum qualitate perpensa.

Quicquid in alia Nostra Synodo statuimus, fideliter, 3.
& exactè observari mandamus, unà cum Additionibus, atque declarationibus in præsenti cumulatis, vim legis habituris elapso bimestri a die publicationis per Edictum speciale faciendæ: quæ tamen omnia supremæ S. Sedis Apostolicæ auctoritati, & infallibili, judicio, eâ, quâ par est humilitate; subiicimus.

Interea juges, & enixas Omnipotenti Deo preces effun- 4.
dimus, ut perfecta incolumitate Regnantem Universæ Ecclesiæ Pastorem diutissimè servare dignetur. Regiæ quoque Celsitudini Clementissimi Magni Ducis longævam ætatem, atque optimam valetudinem: prout etiam pacem, & morum integritatem, atque perpetuam felicitatem dilectissimo Nostro Clerò, Populoque Nostro amatissimo ferventibus votis deprecamur.

DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS.

SACROSANCTI Concilii Tridentini Decretis obtemperantes Cap. 18. Seff. 23. de reformatione, in Examinatores Synodales eligimus infrascriptos, qui dummodo alias consuetum non præstiterint juramentum, præstare debeant.

EXAMINATORES SYNODALES.

Dignitates, & Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ Florentinæ.	*Dom. Vicarius Generalis Fesulanus.*
	Dom. Ubaldinus Ubaldini Archidiaconus E. M. Flor.
	Dom. Cajetanus Bonsig. Ridolfi Archipresb. in Academia Florent. publ. Professor.
	Dom. Leonardus Dantes Gianfigliazzi Decanus.
	Dom. Nuntiatus Spinelli Præpositus.
	Dom. Joseph Maria Venturi Subdecanus.
	Dom. Ferdinandus Bilotti Lector S. Theologiæ.
	Dom. Marcus Antonius de' Mozzi in Academia Florent. publ. Professor.
	Dom. Horatius Mazzei Pœnitentiarius.
	Dom. Alexander Gianfigliazzi Hospital. S. M. Innoc.
	Dom. Comes Thomas Del Maestro.
	Dom. Cajetanus Dominicus Gaetani.
	Dom. Joannes Viviani.
	Dom. Antonius Ricci.

Dom.

Dom. *Joseph Scarlatti*.
Dom. *Antonius Altovita*.
Dom. *Comes Gherardus de Gherardesca*.
Dom. *Joseph Suarez della Conca Eques S. Stephani*.
Dom. *Salvinus Salvini*.
Dom. *Antonius Narvaez Saavedra*.
Dom. *Jacobus Gianfigliazzi*.
Dom. *Philippus Martini Aud. Apost. Nunciaturæ*.
Dom. *Carolus Rupertus Squarcialupi olim Dati*.
Dom. *Alphonsus Alamanni*.
Dom. *Bernardus Maria Martelli*.
Dom. *Franciscus Ginori*.
Dom. *Joseph Melchior Antinori*.
Dom. *Joannes Vincentius Capponi*.
Dom. *Odoardus Gabburri*.
Dom. *Joannes Georgius Alberti Coadjutor S. T. L.*
Dom. *Philippus Maria Gondi Coadiutor*.
Dom. *Cursus Attho de Ricci Coad. Pœnitentiarius*.

D. Antonius Benedictus Brandini J.U.D. Præpositus.

Cathedralis Ecclesiæ Fesulanæ Canonici.
D. Pompilius Bozzolini.
D. Alexander Patriarchi.
D. Joseph Bini.
D. Franciscus Bini.
D. Michael Ducci.
D. Franciscus Dini Pœnitentiarius S. T. D. & Rector Seminarii Fesulani.
D. Joannes Laurentius Finali J. U. D. & S. T. L.
D. Julianus Cammillus Donnini.

Canonici Coll. Eccl. S. Laur. de Florentia.
D. Franciscus Maria Mancini, nunc Alexander Cavalcantes Prior.
D. Petrus Cianfogni.
D. Dominicus Cianfogni J. U. & S. T. D.

D. Alexander Marchi Plebanus Vallis Rubbianæ.
D. Angelus Maria Ricci S. T. D. & in Flor. Acad. pub. Prof.
D. Antonius Buonaccorsi.
D. Antonius Marsini Canonicus Montis Varchii.
D. Antonius Ulivieri J. U. & S. T. D. pub. Prof. in Pis. Univ. Rector Collegii Ferdinandi.
D. Antonius Felix Tommasi Plebanus Vadi.
D. Antonius Gaspar Franchi S. T. D.
D. Antonius Maria Biscioni S. T. D.
D. Antonius Philippus del Soglia S. T. D. & Rector Ecclesiæ S. Mariæ a Greve.
D. Bartholomæus Berti Plebanus S. Babilæ.
D. Bartholomæus Felix Nesterini J. U. D. & Can. Montis Varchii.
D. Cajetanus Tani Plebanus S. Mariæ de Scò.
D. Dominicus Magnani.
D. Ferdinandus Petrini S. T. D.
D. Franciscus Bessi Plebanus S. Joannis Vallis Arni.
D. Franciscus Poggini S. T. D. & Cleri Eugeniani Magister.
D. Franciscus Maria Baldi Plebanus Castri Florentini.
D. Franciscus Maria Cipriani Prior S. Petri de Turricchio.
D. Franciscus Maria Passerini Prior S. Justi de Ruota.
D. Francus Mattei Franchi Primic. Colleg. Montis Varchii.
D. Hippolytus Maria Rossellii S. T. D. publ. Prof. in Academia Flor. Prior Ecclesiæ S. Felicitatis.
D. Jacobus Bartolomei Præpositus Collegiatæ Ficinensis.
D. Jesualdus Goretti Parochus Abbatiæ S. Mariæ de Poppiena.
D. Joachim Mei Plebanus S. Petri a Cintoja.
D. Joachim Cepparelli J. U. D. & pub. Prof. in Pis. Univ., & interim Rector Collegii Sapientiæ.
D. Joannes Bottari S. T. D. in Archigymnasio Romano pub. Prof.
D. Joannes Tozzi S. T. D.
D. Joannes Andreas Pini J. U. D. Regiæ Celsit. M. Ducis Etruriæ Aud. Prior Hospital. S. Matthæi.

D. Joan-

D. Joannes Baptista Frescobaldi.
D. Joannes Baptista Minghetti S. T. D.
D. Joannes Baptista Urbani Canonicus Ficinensis.
D. Jo. Carolus Barsotti S. T. D. & Lector in Seminario Flor.
D. Joannes Felix Bizzarrini J. U. D.
D. Joannes Jacobus Dendi S. T. D. Præpositus Colleg. Montis Varch.
D. Joseph Frati S. T. D.
D. Joseph Melis J. U. D.
D. Joseph Pistolesi S. T. D. Prior Ecclesiæ SS. Apostolorum.
D. Joseph Ascanius Pescetti Plebanus S. Romuli de Gavillè.
D. Joseph Maria Brocchi S. T. D. Rector Seminarii Florentini.
D. Joseph Maria Rossi S. T. D. pub. Prof. in Academia Florent.
D. Laurentius Benini S. T. D.
D. Laurentius Nati S. T. D. Plebanus S. Hippol. de Bibbiena.
D. Laurentius Maria Lapi S. T. D. & Lector in Sem. Flor.
D. Lucas Joseph Cerracchini S. T. D.
D. Petrus Antonius Guiducci S. T. D. Plebanus S. Mariæ de Decumano.
D. Petrus Nicolaus Galletti S. T. D.
D. Petrus Paulus Medici S. T. D. & pub. Prof. in Acad. Flor.
D. Petrus Paulus Vestri S. T. D.

EX REGULARIBUS.

CONGREGATIONIS CANONICORUM LATERANENSIUM.

P. D. Gelasius Vannuccini Abbas S. Bartholomæi Fesularum.
P. D. Augustinus Orsini Abbas.
P. D. Joannes Seraphinus Isola Abbas.
P. D. Ubaldus Montelatici Abbas.

P. D.

P. D. Joannes Antonius Montelatici Abbas.
P. D. Petrus Angelus Cantini.
P. D. Paulus Mari.

CONGREGATIONIS CASSINENSIS.

P. D. Seraphinus Tansi Abbas.
P. D. Anselmus Pelliccioni Abbas.
P. D. Felix Roncalli Prior.
P. D. Virginius Valsechi Prior, & publ. Professor in Pisana Universitate.
P. D. Petrus Aloysius della Torre Prior, & Sac. Congr. Visit. Apostolica Consultor.
P. D. Stephanus Trenta publ. Prof. in Pisana Universitate.
P. D. Andreas Barli.
P. D. Joannes Gualbertus Beccari.
P. D. Archangelus Franceschini.
P. D. Deodatus Bartolini.
P. D. Isidorus Rusca.
P. D. Thomas Trenta.
P. D. Petrus Baldoriotti.
P. D. Octavius Benedictus Rustici S. T. L.
P. D. Joannes Baptista Rota.
P. D. Bernardinus Ranieri T. M. L.

CONGREGATIONIS CAMALDULENSIS.

P. D. Guido Grandi Abbas Visitator, & pub. Prof. in Pisana Universitate S. T. D.
P. D Bonifacius Angelicus Fei Abbas S. Mariæ Angelorum.
P. D. Silvanus Ciapetti Abbas S. T. D.

P. D.

P. D. Joannes Paulus Falugi Abbas.
P. D. Justus Venturini Abbas S. T. D. & pub. Prof. in Academia Florentina.
P. D. Martinus Angelus Martini Prior.
P. D. Romualdus Stecchi Lector.
P. D. Paulus Orlandini S. T. Lector.
P. D. Petrus Paulus Naccherelli.
P. D. Rupertus Gotti.
P. D. Deodatus Cantieri S. T. D.
P. D. Ricciardus Balsimini Philosophiæ Lector.

CONGREGATIONIS VALLISUMBROSÆ.

P. D. Bernardus Fanini Generalis.
P. D. Hieronymus Parenti Exgeneralis Abbas S. Pancratii.
P. D. Petrus Maccioni Exgeneralis Abbas Passinianensis.
P. D. Ignatius Maria Burlini Abbas Vallisumbrosæ.
P. D. Fulgentius Nardi Abbas SS. Trinitatis.
P. D. Hermenegildus Paoletti Abbas.
P. D. Franciscus M. Romani Abbas S. T. D.
P. D. Laurentius Paoletti Abbas.
P. D. Guilelmus Dolci S. T. D. & publ. Profess. in Academia Florentina.
P. D. Paulinus Fuga Magister Collegii Passinianensis.
P. D. Thesaurus Ceccatelli S. T. D.

CONGREGATIONIS CISTERCIENSIS.

P. D. Joannes Gualbertus Foli Abbas, & Præsidens generalis.
P. D. Theodorus Davanzati Abbas.
P. D. Bernardus Barberi Abbas.

P. D.

P. D. Gervasius Bernucci Abbas.
P. D. Bernardus Bagnoli.

CONGREGATIONIS COELESTINORUM.

P. *D. Cœlestinus Colla Abbas.*
P. P. D. Joannes Baptista Gabricci Vicarius.
P. D. Ferdinandus Palazzi.
P. D. Amadeus Imperati.
P. D. Benedictus Arseni.

CONGREGATIONIS OLIVETANÆ.

P. *D. Desiderius Ferreri Abbas.*
P. P. D. Bonaventura Battazzi.
P. D. Angelus Maria Bartolini.
P. D. Valerianus Redi.

ORDINIS PRÆDICATORUM.

P. M. *Fr. Archangelus Maria Nardi Prior S. Mariæ Novellæ.*
P. P. M. Fr. Jacobus Maria Spenditori.
P. M. Fr. Archangelus Maria Tommasi.
P. M. Fr. Thomas Maria Airoldi.
P. M. Fr. Aloysius Albertus Nardi.
P. L. Fr. Dominicus Maria Sandrini.
P. M. Fr. Angelus Philippus Pistolesi Prior S. Marci.
P. L. Fr. Albertus M. Tortori Vicarius generalis.
P. L. Fr. Philippus Maria Baldinucci.
P. L. Fr. Seraphinus Loddi.
P. L. Fr. Thomas Moniglia.
P. L. Fr. Carolus Philippus Berta.

P. L.

P. L. Fr. Thomas Grifelli .
P. L. Fr. Angelus Maria Nardi .
P. L. Fr. Petrus Augustinus Ceccherelli .

ORDINIS SERVORUM B. M. V.

P. *M. Fr. Joseph Maria Migliorati Provincialis S. T. D.*
P. M. Fr. Gherardus Capassi Exgeneralis S. T. D. in Pisana Universitate publ. Prof. S. Militaris S. Stephani Religionis Theologus , S. C. Indicis Consultor .
P. M. Fr. Jacobus Philippus Maria Campiglia Prior S. T. D.
P. M. Fr. Joannes Vincentius Maglietti S. T. D.
P. M. Fr. Thomas Tellucci S. T. D.
P. M. Fr. Julius Maria Ricci ..
P. M. Fr. Joannes Baptista Biscardi S. T. D.
P. M. Fr. Joseph Maria Giusti .
P. M Fr. Joachim Gucci .
P. M. Fr. Angelicus Maria Gucci .
P. M. Fr. Paulus Sebastianus Arrighi S. T. D.
P. M. Fr. Julianus Maria Saller S. T. D.
P. M. Fr. Benedictus Gherardus Baldoriotti .
P. M. Fr. Eliseus Maria Lacchini S. T D.
P. M. Fr. Joannes Angelus Maria Puglieschi S. T. D.
P. M. Fr. Amadeus Maria Bartolini .

ORDINIS CARMELITARUM.

P. *M. Fr. Petrus Andreas Lombardi Provincialis .*
P. M. Fr. Petrus Thomas Chiostri .
P. M. Fr. Joseph Antonius Nozzi .
P. M. Fr. Ferdinandus Ghinetti S. T. D.
P. M. Fr. Andreas Martini .

P. M. Fr. *Franciscus Victorius Ghinetti S. T. D.*
P. M. Fr. *Andreas Messeri.*
P. M. Fr. *Benedictus Ricci.*
P. M. Fr. *Joannes Antonius Peri S. T. D.*
P. M. Fr. *Bernardus Luigi.*
P. M. Fr. *Vincentius Maria Lastri S. T. D.*
P. M. Fr. *Laurentius Masini S. T. D.*
P. M. Fr. *Ferdinandus Capezzuoli.*

CONGREGATIONIS MANTUÆ.

P. M. Fr. *Petrus Paulus Malesci.*
P. M. Fr. *Angelus Giunti.*
P. L. Fr. *Albertus Stefanini.*
P. L. Fr. *Albertus Malesci.*

CARMELITÆ EXCALCEATI.

P. Fr. *Franciscus Maria a S. Ambrosio Provincialis.*
P. Fr. *Philippus Maria a S. Nicolao Prior.*
P. Fr. *Elias a S. Joseph.*
P. Fr. *Alexius a S. Antonio.*
P. Fr. *Benedictus a S. Marco.*
P. Fr. *Aloysius a S. Thoma.*
P. Fr. *Nicolaus a S. Laurentio publ. Prof. S. T. in Pis. Universit.*
P. Fr. *Bernardus a S. Michaele.*
P. Fr. *Salvator a S. Joseph.*
P. Fr. *Simon a S. Lino.*
P. Fr. *Ignatius a S. Raynerio.*

OR-

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI.

P. M. Fr. Franciscus Maria Valenzi Prior.
P. M. Fr. Benedictus Bastremi S. T. D.
P. M. Fr. Joseph Antonius Puccini S. T. D.
P. M. Fr. Michael Migliorati S. T. D.
P. M. Fr. Antonius Pantani S. T. D.
P. M. Fr. Joannes Laurentius Berti.
P. M. Fr. Thomas Barbieri.

CONGREGATIONIS LOMBARDIÆ.

P. L. Fr. Hermenegildus Ubaldini.

ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM S. FRANCISCI.

P. M. Fr. Joseph Maria Biondi Guardianus.
P. M. Fr. Franciscus Antonius Giorgi.
P. M. Fr. Thomas Rossi.
P. M. Fr. Leonardus Donnini publ. Professor S. T. in Pisana Universitate.
P. M. Fr. Antonius Maria Sabatini S. T. D.
P. M. Fr. Antonius Philippus Carducci.
P. M. Fr. Benvenutus Benvenuti.
P. M. Fr. Pandulphus Donnini.
P. M. Fr. Casimirus Liborius Tempesti.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

P. *Fr. Cosmus Antonius de Florentia Provincialis*.
P. *Fr. Celsus Maria de Florentia Guardianus*.
P. *Fr. Cherubinus de Florentia*.
P. *Fr. Benedictus Maria de Florentia*.
P. *F. Angelus Cherubinus de Florentia*.
P. *Fr. Guido de Florentia*.
P. *Fr. Bartholomaus de Pupilio*.
P. *Fr. Raphael de Barberino*.
P. *Fr. Honoratus de Florentia*.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI STRICTIORIS OBSERVANTIÆ.

P. *Fr. Deodatus de Florentia Guardianus*.
P. *Fr. Franciscus Antonius de Marino*.
P. *Fr. Venantius Maria de Florentia*.
P. *Fr. Casimirus de Florentia*.
P. *Fr. Joseph de Terrinca*.
P. *Fr Hermenegildus de Florentia*.
P. *Fr. Joannes Gualbertus de Fesulis*.
P. *Fr. Candidus de Florentia*.
P. *Fr. Pius de Florentia*.
P. *Fr. Raymundus de Florentia*.
P. *Fr. Joannes Benedictus de Retiniano*.
P. *Fr. Petrus de Signa*.

SO-

SOCIETATIS JESU.

P. *Hieronymus Ridolfi Rector Collegii*.
P. *Dominicus Casotti Rector Domus Probationis*.
P. *Thomas Capeci*.
P. *Cajetanus Giacomini*.
P. *Petrus Fabri*.
P. *Hortentius Balestrieri*.
P. *Joannes Baptista Pagani*.
P. *Joannes Franciscus Strozzi*.
P. *Franciscus Maria Onorati*.
P. *Petrus Paulus de Olivares*.
P. *Petrus Antonius Antinori*.
P. *Joannes Carolus Pallavicino*.
P. *Philippus Maria Tolomei*.

ORDINIS THEATINORUM.

P. *Petrus Franciscus Schianteschi*.
P. *Angelus Franciscus Vanni*.
P. *Antonius Maria Donati*.
P. *Petrus Cajetanus Masetti*.
P. *Franciscus Maria Donati*.
P. *Aloysius Uguccioni*.
P. *Joseph Maria Campagna*.
P. *Hieronymus Fava*.
P. *Cajetanus Joseph Schianteschi*.

BAR-

BARNABITÆ

P. *Julius Bramieri. Præpositus.*
• *P. Gregorius Scati.*
P. Petrus Maria Conti.

ORDINIS MINIMORUM.

P. *Fr. Antonius Barni Provincialis.*
• *P. Fr. Joseph Maria Righi.*
P. Fr. Hyacintus Vezzoni.
P. Fr. Joseph Carpi.
P. Fr. Gregorius Ercolani.
P. Fr. Thomas Silvestri.
P. Fr. Joseph Ferdinandus Stracchini.
P. Fr. Clemens Viganego.
P. Fr. Benedictus Guidi.
P. Fr. Angelus Maria Mangani.
P. Fr. Franciscus Bertocchi.

ORDINIS MINISTRANTIUM INFIRMIS.

P. *Stephanus Belatti Præfectus.*
• *P. Joannes Franciscus Torre.*
P. Augustinus Jannonius.
P. Cajetanus Campana.

ORDINIS SCHOLARUM PIARUM.

P. *Octavius a S. Leandro Præpositus Provincialis.*
• *P. Cajetanus a S. Joanne Baptista Rector Domus Professæ.*

P. Joan.

P. Joannes Gualbertus a S. Sigysmundo.
P. Ubaldus a S. Telmo.
P. Ferrantes a S. Nicolao.
P. Octavius a S. Leandro.
P. Vincentius a S. Philippo Nerio.
P. Eduardus a S. Silvestro.
P. Eugenius a S. Silverio.
P. Alexander a S. Sigysmundo.

ORDINIS CAPPUCCINORUM.

P. *Fr. Eduardus ab Albiano Provincialis.*
P. Fr. Antonius a Florentia Guardianus.
P. Fr. Rupertus a Florentia Vicarius.
P. Fr. Laurentius a Montevarchio.
P. Fr. Fridericus a Strada.
P. Fr. Carolus Franciscus a Florentia.
P. Fr. Joannes Philippus a Florentia.

AUGUSTINIANI EXCALCEATI.

P. *Fr. Germanus a Consolatione Provincialis.*
P. Fr. Raphael ab Assumptione.
P. Fr. Valerius a Purificatione.
P. Fr. Seraphicus a Matre Dei.
P. Fr. Marcellinus a B. Clara.
P. Fr. Patritius Maria a S. Laurentio.
P. Fr. Cyprianus a S. Cruce.
P. Fr. Gerardus a S. Teresia.
P. Fr. Angelus Cœlestinus a S. Petro.
P. Fr. Riccardus a S. Luca.

DE JUDICIBUS SYNODALIBUS.

AD dirimendas causas, & controversias ab Apostolica Sede delegatas, inhærentes Oecumenicæ Tridentinæ Synodi mandatis cap. 10. sess. 23. de reformatione, infrascriptos Viros idoneos, debitisque requisitis pollentes in Judices Synodales deputamus, ex quibus, juxta Gregorii XV. Constitutionem, Regulares sibi Conservatores eligere debent.

JUDICES SYNODALES.

Illustriss. & Reverendiss. Dominus ALOYSIUS MARIA STROZZA Episcopus Fesulanus.

Dom. Vicarius Generalis Fesul. pro tempore existens.

Omnes J. U. D. Prot. Ap. & Ecclesiæ Metropol. Florent. Canonici.

- *Dom. Ubaldinus Ubaldini Eccl. Metr. Archidiaconus.*
- *Dom. Nuntiatus Spinelli.*
- *Dom. Ferdinandus Biliotti.*
- *Dom. Horatius Mazzei.*
- *Dom. Alexander Gianfigliazzi.*
- *Dom. Dominicus de' Bardi.*
- *Dom. Cajetanus Dominicus Gaetani.*
- *Dom. Joannes Viviani.*
- *Dom. Antonius de' Ricci.*
- *Dom. Joseph Scarlatti.*
- *Dom. Antonius Altovita.*
- *Dom. Philippus Martini.*

D. An-

Omnes J. U. D. & Prot. Ap.

D. Antonius Ulivieri.
D. Antonius Benedictus Brandini Præpositus Fesul.
D. Antonius Dominicus Novelli.
D. Cajetanus Joseph Moniglia Jur. Canon. publ. Prof.
D. Jacobus Agnini.
D. Joannes Andreas Pini.
D. Joannes Antonius Baroncini.
D. Joannes Felix Bizzarrini.
D. Joannes Philippus Paperini.
D. Joseph Ciampelli.
D. Joseph Melis.
D. Mathias Tozzi.
D. Petrus Antonius Gioja.
D. Petrus Philippus Strozza.

TESTES SYNODALES.

In Civit.

D. *Antonius Benedictus Brandini Præpositus Cathedralis Fesulanæ.*
D. Alexander Patriarchi.
D. Franciscus Dini.

Extra Civitat.

D. Jacobus Bartolomei Præp. Colleg. Ficinensis.
Omnes Plebani in suis Plebaniis.
D. Hercules Martini Prior Ecclesiæ S. Salvatoris de Leccio.
D. Franciscus Maria Cipriani Prior Ecclesiæ S. Petri de Turrichio.
D. Dominicus Mochi Prior S. Steph. de Montefioralle.
D. Mattheus Braccini Prior S. Nicolai de Selvole.
D. Sabatinus Bini Parocus S. Barth. de Strapetognoli.
D. Bartholomeus Buzzichelli.

XENODOCHIARII, ET REVISORES LOCORUM PIORUM.

D. *Antonius Benedictus Brandini Præpositus Fesulanus.*
D. Michael Ducci Canonicus Fesulanus.
D. Jacobus Bartolomei Præpositus Collegiatæ Ficinensis.
D. Joannes Jacobus Dendi Præpositus Collegiatæ Montis Varchii.
D. Joannes Baptista Urbani Canonicus Ficinensis.
D. Joseph Maria Pasquali Præpositus S. Andreæ de Cennano.
D. Cesar Monaldi Plebanus S. Crescii a Monte Fioralle.
D. Dominicus Stocchi Plebanus SS. Viti, & Modesti de Incisa.
D. Joseph Braccini Prior Ecclesiæ S. Nicolai de Radda.

APPROBATORES CÆREMONIARUM SACRIFICII MISSÆ.

D. *Julianus Cammillus Donnini.* } Canon. Cath. Fesul.
D. Alexander Patriarchi. }
D. Joannes Antonius Casamora Canonicus Colleg. Montis Varchii.
D. Joseph Maria Pasquali.
D. Joannes Baptista Urbani.
D. Joannes Baptista Banchi Prior S. Mariæ in Campo.
D. Cajetanus Tani Plebanus S. Mariæ a Scò.
D. Antonius Marsini.
D. Andreas Cappelli.
D. Antonius Cajetanus Bellini.
D. Joannes Laurentius Stefani Secretarius. } Dominationis suæ
D. Joannes Dominicus Sorini Mag. Cerem. } Illustrissimæ &
D. Carolus Albizzini Cappellanus. } Reverendissimæ.

DE-

DEPUTATI PRO CONSILIO ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. EPISCOPI IN REBUS SEMINARII AD PRÆSCRIPTUM S. CONCILII TRIDENTINI.

D. Joseph Bini. ⎤
D. Julianus Cammillus Donnini. ⎦ Canon. Cath. Fes.

D. Joannes Dominicus Landi electus a Dominatione sua Illustrissima & Reverendissima.

D. Cammillus Fortini Prior Sanctæ Mariæ de Ontignano.

REVISORES CASUUM CONSCIENTIÆ.

Omnes Examinatores Synodales supra recensiti, & ulterius Lector Casuum Conscientiæ Seminarii Fesulani pro tempore existens.

DEPUTATI SUPER IMPOSITIONE FLUMINUM, ET VIARUM.

Dom. Dominicus de Bardi Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Florentinæ, & Vic. Gen. Fesul., aut quilibet alius Vic. Gen. Fesul. pro tempore existens.

Dom. Augustinus Maria Cerretani Can. Florentinus.

D. Præpositus Eccl. Colleg. de Figbino pro tempore existens.

D. Præpositus Eccl. Colleg. Montis Varchii pro tempore existens.
D. Benedictus Tondelli Canonicus Ficinensis.
D. Laurentius Restoni Canonicus Ficinensis.
D. Simon Carucci Bianchi Canonicus Eccl. Colleg. Montis Varch.
D. Dominicus Stocchi Plebanus de Incisa.
D. Dominicus Manfredi Plebanus S. Stephani de Castiglioni.
D. Franciscus Maria Cipriani Prior S. Petri de Turrichio.
P. D. Hieronymus Parenti Congregationis Vallisumbrosæ.
P. Fr. Callistus Catani Ordinis Servorum B. M. V.

PROMOTOR SYNODI.

Dom. Dominicus de' Bardi Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Florentinæ, & Vic. Gen. Fesul.

